p. 806.

ADAMI CHENOT

QONDAM S. C. R. A. M. A CONSILIIS MEDICIS ET TRANSILVANIAE PROTOMEDICI

HISTORIA PESTIS TRANSILVANICAE

ANNORVM

CIƆIƆCCLXX ET CIƆIƆCCLXXI.

OPVS POSTHVMVM

IVSSV REGIO

EDIDIT ET PRAEFATVS EST

FRANCISCVS SCHRAVD

S. C. R. A. M. A CONSILIIS MEDICVS DIRIGENS NEGOTIORVM PESTIS PER DITIONES AVSTRIACAS MEDICINAE PROFESSOR PESTANVS PVBL. ORD. SOCIET. MIN. IENENSIS SODALIS.

BVDAE

SVMTIBVS TYPOGRAPHIAE REG. VNIVERSITATIS PESTINENSIS.

1799.

ILLVSTRISSIMO

DOMINO DOMINO

IOSEPHO ISZDENCZY

DE

MONOSTOR

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI

REGIS APOSTOLICI

COMMENDATORI

ET

THESAVRARIO

SACRAE CAES. REGIAE APOST. MAIESTATIS

ACTVALI STATVS

CONSILIARIO

DOMINO ET MAECENATI

GRATIOSISSIMO.

ILLVSTRISSIME!

Eam paſsim queruntur eſſe meritorum ſortem, vt, cum multis in caſibus illa damno etiam, atque noxae cedant iis, qui per eadem inclareſcere, atque prouehi debuiſſent; in non paucis aliis, etiam quum omnino haberi eorundem rationem cernimus, tamen longe infra dignitatem conſiſtant proemia, quae ſolent manere bene meritos, neque emolumenti ex eorum labore in patriam promanantis magnitudini ſpeci-

ci-

cimen publicae gratitudinis reſpondeat.

Si haec domi noſtrae aliter ſunt; ſi, vti primum quis apud nos bene de publica re meritus fuit; ita eundem vberes laborum ſuorum fructus, et multiplices regiae munificentiae teſſeras tuliſſe vidimus; tum id quidem TIBI *in primis*, VIR ILLVSTRISSIME! TVAE *ſiue indagini factorum, ſiue in iis penſandis aequitati deberi*

omnes

omnes confitentur, qui, vnice intentus in regis, regnique commoda, facile intelligis, tunc demum illa ſummis boni cuiusque viribus promotum iri, ſi ad inuitamenta virtutis, probique animi honeſta emolumentorum incitamenta acceſſerunt.

Huius, quod diximus, TVI *ſtudii proemiandorum meritorum cum infinita ſpecimina ſunt; tum vero elucet illud in hoc ipſo etiam opuſculo, quod vt ty-*

pis

pis edendum curarem, nomine regio praeceptum accepi. Decem adeo anni ſunt, ex quo occubuit celeberrimus Chenotus, poſtque vtiliſsimam operam, rebus peſtis excolendis locatam, et manuſcripta complura eodem pertinentia, et ſobolem tenuiter dotatam reliquit. Emortua etiam eſſe viri optimi memoria poterat exiſtimari. Nunc auctoritas TVA *labores pene conſepultos in lucem prouocat, et magni-*

gnifica largitatis regiae dispensatio haeredibus vberem, omnique adeo expectatione sua maiorem mercedem impertit, vt satis appareat, non antiquari apud nos ius, atque dignitatem meritorum, eamque esse consiliorum, quibus res nostrae gerantur, aequitatem, quae vtilium laborum emolumenta velit ipsis etiam posteris adserta transscribere.

Eius-

Eiusmodi ſpecimina largitatis regiae non poſſunt non plurimos alios ad curandam publicam rem, ad prouehenda patriae commoda prouocare, ſique TV, *quae eſt* TVA *modeſtia, paſsim deprecaris teſtificationem grati animi pro eo, quod* TV *tantum officii tenore* TE *feciſſe potes ex vero adſerere; tamen non potes non vna perfrui ſummo ſenſu voluptatis, quem* TIBI *conſcientia contentionis publicae, talibus*

exem-

exemplis excitatae, debet vbertim ſuffi-cere.

Me, quem ſummis abs TE *benefi-ciis ornatum paſſus es nomini* TVO *hocce opuſculum inſcribere, oportet hac in re magis ex mente* TVA; *quam pro animi mei ſenſu verſari: ſique adeo non ſuſtineo promere teſtificationes grati-tudinis, qua* TIBI *me plurima* TVA *de me merita obſtrinxerunt; boni, ve-lim, conſule vota, quibus me* TVIS

ſub

ſub auſpiciis pro ſalute publica, pro ſeruitio principis optimi, pro curandis carae patriae commodis aeternum deuincio, quaeue dudum animo concepta hocce potiſsimum loco, hacce publica occaſione enunciare me debere exiſtimaui.

ILLVSTRITATIS TVAE

perpetuus cultor
FRANCISCVS SCHRAVD.

Peſtini, Kalendis Junii
MDCCIC.

PRAEFATIO.

ADAMUS CHENOTUS Luxemburgi Belgarum anno CIↃ.IↃCC. XXI. tenuiore loco natus, parentem molitorem habuit: domi humaniores literas, & philoſophicas diſciplinas doctus, ſubinde Viennam transtulit ſe, ut cive ſuo, magno Swietenio, qui, ſub idem tempus eodem evocatus, cum celebritate doctrinae magnam ad principem auguſtam auctoritatem copulavit, præceptore, atque mæcenate uteretur.

Anno ſeculi quinto, & quinquageſimo peſtis contagium, e Valachiæ finibus in vicinas Tranſilvaniæ oras illatum, reſedit in coronenſe Valachorum ſuburbium, brevique ex peſtis renunciandæ tergiverſationibus, ex hominum indocilitate, obſtinatione, ſocordia

late

late cœpit graſſari. Providentia auguſta ſub ipſis mali initiis CHENOTUM e Swietenii commendatione mittit in Tranſilvaniam, faciendæque peſtis medicinæ deſtinat. Tarda e gratioſis per prima tempora, ac pene legalibus peſtis addubitationibus uſura maturati auxilii fuit. In ſextum menſem perpetuus eſt locus medicorum de mali præſentia addubitationibus: in ſextum menſem incolarum coronenſium conamina negandæ, occultandæque peſtis eminent ſuper cibinienſis, qui negotia ſanitatis curabat, magiſtratus indaginibus, ac menſe tandem Majo anni conſequentis CHENOTUS Coronam, mali ſedem, accedit.

Si contagii late diffuſi non difficilis, atque anceps eſſe diagnoſis potuit; contra in eo viri ſive animus, ſive in dicendo atque demonſtrando vis eminuit, quod & a profitenda peſte plurimorum aliorum obtrectationibus nequaquam paſſus eſt ſeſe cohiberi, & rem tanto tempore disputa-

tam

tam ita asseruit, ac definivit, ut nullæ deinceps aliter docentium voces possent audiri.

A diagnosi pestis ad curam mali converti medicum oportuit. Ea tum erant tempora, ut magis curandis ægris; quam sanis conservandis occupandi esse medici viderentur, & omnino eo res Coronensium pervenerant, ut non sit mirandum, iis sub adjunctis parum satis adlaboratum esse in studio paucorum ægrorum habendorum, cujus artem posteriora demum ipsius nostri CHENOTI conamina magis evolvere debuerunt.

Sed vero in ipsis ægris curandis plurimæ se solerti quantumvis medico difficultates offerebant. Rudis valacha gens (in eam enim potissimum sæviebat pestis), ipsi Saxones detestabantur medentis auxilium, & abhorrebant a remediis: magistratus, quem oportebat necessaria sufficere, servandoque rerum ordini præesse, aut negabat, aut tardabat operam; truncabat

sub-

ſubſidia; intercedebat medicorum præceptionibus: propria curandi mali difficultas augebatur adſcititiis obſtaculis, & medicorum ſive in obſervando attentionem, ſive in inveniendis remediis ſolicitudinem vulgi convicia, & malignæ magiſtratuum reprehenſiones interpellabant.

Quo majora fuerunt impedimenta muneris cum utilitate publica gerendi; eo magis commendationem meretur CHENOTI noſtri ſive conſtantia, qua potuit ſuper iis omnibus eminere, ſive mentis acies, atque dexteritas, qua eſt in ægrorum ſibi traditorum cura, adſerendaque ſanitate verſatus: ex CCCC & XIV ægris a peſte hominibus, qui illi cum fido laborum ſocio Antonio Brukmann ſive in noſocomiis, ſive domi curandi obtigerunt, occubuere CLXXII; convaluere CCXLII: ut, ſi etiam nulla eorum habeatur ratio, qui, quod variis e cauſis tam frequenter in peſte fit, ſerius juſto ad medentis notitiam pervenerunt

runt ; tamen tres quintæ ægrorum partes redditæ ſanitati ſint.

In primos usque menſes anni quinquageſimi ſeptimi duraverunt occupationes CHENOTI coronenſes, quæ ultimo tempore, nullis jam ex peſte ægris præſentibus, potiſſimum in extirpando peſtis fomite, in comburendis utenſilibus, depurandis, quas incolæ interea vacuaverant, ædibus ponebantur.

Eam CHENOTUS in toto negotio & medici ſcientiam, & viri gravitatem, & negotiorum peſtis gerendorum uſum probavit, ut facile appareret, futuris quoque caſibus ejus operam plurimum valituram. Itaque nominatur contagionis phyſicus pro principatu Tranſilvaniæ, & aſſeſſor commiſſionis, quæ Cibinii negotia ſanitatis procurabat, quo in officio, quid agendum quoque in caſu ſalutem publicam attinente eſſet, ad civiles magiſtratus referebat, & officioſis in negotio ſanitatis literis, quæ ad ce-

tera ditionum auſtriacarum ſubſellia mitterentur, præerat.

Ita cum ſe rebus peſtis futuro quoque tempore curandis deſtinatum ſentiret CHENOTUS, quo erat ſive zelo implendi muneris, ſive ardore ſervandorum civium, videtur jam tunc iniiſſe conſilium, cujus deinceps in omni ejus vita tot veſtigia reperimus, ut rerum ad peſtem quoquomodo pertinentium doctrinam totis ſuis viribus excultam præſtaret. Primum quod in hoc genere poſſet ab eo proficiſci, erat illud, ut, quas nuper de peſtis indole, atque morbi curandi methodo obſervationes feciſſet, & redigeret in ordinem ad uſus proprios, & aliorum inſtituendorum cauſa in lucem proferret. Quo quidem labore CHENOTUS ad ſummam ſuam commendationem defunctus eſt. Edidit anno ſexto & ſexageſimo tractatum de peſte, *) ſermone

*) Titulus libri eſt: Adami Chenot Philoſophiæ, & Medicinæ doctoris, rei ſanitatis tran-

ne latino ſcriptum, qui cum domi ſumma laude exceptus, & a graviſſimo Swietenio majorem in modum probatus eſſet; etiam exteris ita ſatisfecit, ut eodem adhuc anno typis germanicis Dresdæ exſcriberetur, atque celeberrimi quique de peſte ſcriptores, Ash, Orræus, Samoilovics, ejus opuſculi auctoritate libenter uterentur. Thereſia auguſta dedicatum ſuo nomini opus pro dignitate amplexa eſt, atque annuo, quod fuit ad eum diem, auctoris meritiſſimi ſtipendio acceſſionem quadringentorum florenorum decrevit.

Præmitti debebat doctrina curandi morbi, cujus avertendi methodus parum ſatis aut certa, aut variis vitæ ſocialis adjunctis adcommodata habebatur, ut, ſi quid iſthinc non ex voto accideret; ſaltem illa ex parte minueretur magnitudo malo-

tranſilvanæ phyſici regii tractatus de peſte. Vindobonæ, typis Joannis Thomæ Nob. de Trattnern, cæſ. reg. aulæ typogr. & bibliopolæ. MDCCLXVI.

rum, quibus prohibendis non ſufficeremus. Ita cum peſſimo caſui proſpectum eſſet; converſus eſt vir cl. ad conſtituendam coercendæ, domandæ peſtis diſciplinam, cujus multiplices, qui hucusque erant, nævos unius anni attenta obſervatio commonſtravit. Hæc erat viri aſſidui occupatio per eas horas, quas publicæ muneris functiones reliquas fecerant, magisque ſaluti publicæ; quam rei familiaris incrementis intentus maluit verſari in loimiatrorum ſcriptis; quam privata praxi diteſcere. Quo in labore cum ſumma diligentia conquireret, quidcunque a plurimis inde ſeculis proditum circa peſtem eſſet; addidit majorum præceptionibus limam maturi, defecatique judicii, atque ſicut proditarum a diverſiſſimis obſervationum combinatio ad multas agendi normas ſcrutatorem perduxit; ita, quid deinceps demum capiendis obſervationibus definiendum, atque decernendum reſtaret, ſive ex multiplici, quæ paſſim offerebat ſe, opinio-

num

num diſſenſione, ſive e compertis veterum præjudiciorum hallucinationibus præſignabat.

Ita pene optandum erat, ut nova peſtis videndæ occaſio viro cel. fieret. Quo magis erat alienus ab eo, ut, quas circa peſtis domandæ methodum e multiplici lectione conjecturas animo præſagiente concepiſſet, eas, nullo experimento comprobatas, vellet agendorum normas prodere; eo certius licebat ſperare curaturum, ne qua faciendi, quod ad dubias quæſtiones decidendas quoquomodo idoneum eſſet, periculi ulla occaſio inutilis elaberetur.

Anno ſeculi ſeptuageſimo ex occaſione belli, quod Turcos inter, atque Ruſſos ſumma cum atrocitate geſtum eſt, peſtis per omnem Valachiam, ac Moldaviam difunditur, tandemque in ipſam Tranſilvaniam triplici adeo via penetrat ſe: ſex diſtrictus, poſſeſſiones ſedecim fœdantur contagio: ſive ex ſpecimine ſtragium in vicinis provinciis editarum, ſive e dome-

ſtica, quæ fuit ſub initiis mali, propagandi rapacitate magna toti Tranſilvaniæ clades videbatur imminere. Sed CHENOTUS, præterito labore ſatis contra periculi magnitudinem comparatus, cum procurandæ ſeparationis regulas, juſtis capitibus diſtinctas, medicis ſibi obnoxiis mature tradidiſſet, & furori præteritorum temporum, in utenſilibus, quæ fomite peſtis fœdata eſſent, comburendis poſito, gratioſam lavandi aſſiduitatem ſubſtituiſſet; cum in negotio exſtirpandæ peſtis non vitæ tantum; ſed etiam facultatum ſervandarum idoneam rationem habuiſſet; devincto hiſce modis incolarum in propriam ſalutem obſequio brevi eo pervenit, ut illic quidem malo paſſim graſſanti modum poneret; hic idem intra primas cædes cogeret conſiſtere; ut, vicinis provinciis per plures annos cum peſtis calamitate conflictantibus, eadem jam per initia conſequentis anni tota Tranſilvania extorris haberetur; ut facta hominum in integro principatu ex peſte jactu-

ra

ra longe infra eum numerum confifteret, qui mediocri quocunque affinium regnorum oppido cenferetur.

Non potuerunt fua tantis meritis præmia apud æquam factorum æftimatricem Mariam Thereſiam deeffe. CHENOTUS donatur numifmate aureo primæ claffis, & tertio poft anno, ex prima occafione vacantis officii, protomedicus Tranfilvaniæ renunciatur.

Iam ita & a majorum doctrina, & a proprio rerum ufu comparatus erat CHENOTUS, ut non tuto tantum; fed etiam fecure poffet prodire in publicum, malique peftis coercendi, opprimendi præceptiones proferre. Quo minus id mature privatim faceret, fuoque ftudio velificaretur provehendæ humanæ rei, illud in primis prohibebat, quod fub idem tempus de conftituenda peftis difciplina publice cœpit cogitari. Si minus ad propriam gloriam; magis certe ad publicam falutem, atque

 emo-

emolumenta civitatum omnium videbatur ſymbolam ſuam eodem collaturus.

Primus, ut par erat, hocce in negotio CHENOTUS noſter cœpit audiri, jusſusque eſt nomine regio ſuper iis, quæ in politia peſtis emendanda, mutanda eſſent, quas manco normalium præteritorum cenſui novas præceptiones addere oporteat, ſententiam proferre.

Vir humanæ rei ſtudioſiſſimus ea normalium præteritorum placita primo omnium notare ſe debere exiſtimavit, quæ cum ad peſtem ſuperflua eſſent; alia nexus ſocialis commoda, & liberam vitæ uſuram multum affligerent. Perpetuas contra Turcam peſtis cauſa excubias, perpetuas commercii interpellationes, nimiam periodi contumacialis longitudinem, acerbam rerum, quæ fomite peſtis ſcaterent, comburendarum neceſſitatem reprehendebat.

Sed enimvero in coordinanda hac, quæ futuris uſibus præſto eſſet, diſciplina peſtis id tum inſuper initum erat conſilium;

ut,

ut, quæ præcepta daret CHENOTUS, ſubinde aliorum per ditiones auſtriacas medicorum ſcrutinio ſubjicerentur: negotium ſummi momenti omni ex parte penſandum videbatur. Conſilium uti magis anxia peſtis avertendæ cura; quam appoſita quæſiti adminiculi conditione commendabile fuit; ita deſtinatione ſua prorſus excidit. Gnarus rerum ad peſtem pertinentium unus tum pene in noſtris provinciis erat CHENOTUS, aut ita certe verſatus in hocce negotio, ut nemo facile poſſet cum eo contendere: tranſilvani medici, CHENOTI laborum ſocii, eadem cum ipſo ſenſerant: ad cenſendam hujus viri ſententiam accedebant alii minus periti harum rerum, magisque quæſitam aliis nominibus auctoritatem; quam propiorem contagii cognitionem ad arbitrium adferebant: uti pronum erat proſpicere, vel ipſam invidiam multorum interceſſuram novis unius præceptionibus; ita numerus ipſe tuebatur cenſorum errores, & inſolentis, ad quam humanitatis ſenſus

CHE-

CHENOTUM ferebat, doctrinæ reprehensionem inveteratus pestis metus non tutam modo; sed etiam probabilem fecerat.

Ita cum doceri a medicis vellent dicasteria, cum in eorum dictatura cuperent adquiescere, ac secura esse; magis etiam conturbari debuerunt, quum juxta metum pestis etiam infinita de habendis contra eandem auxiliis dubia, parum antea cognita, percellerent, proque plano, ac simplici, quem sperabant magistratus, normalium præceptionum tenore farraginem contradictionum acciperent.

Non potuit eferens se undique medicorum contra fenitentium vox certum doctrinæ suæ CHENOTUM opprimere: imo vero eo magis adserendam sibi esse suarum præceptionum veritatem vir humanæ rei studiosissimus existimavit; quo magis doluisset ereptum iri civibus suis illa emolumenta quibus, quærendis præteritos vitæ annos tanta cum alacritate, tanta cum sua jactura impenderat, quibus inventis

tan-

tantopere ſibi gratulabatur. Quo magis obtrectatores ſui nitebantur annoſis præjudiciis; eo magis explicabat vim obſervationum præſentium: quo magis ex memoria præteritarum cladium, ex priſtina panici terroris conſvetudine intercedebant definiendæ, & ſecuris limitibus deſcribendæ peſtis diſciplinæ; eo magis e noviſſimis ſucceſſionibus commendabat humanarum contra virium confidentiam; eo magis cum neceſſario paucarum quarundam diſpoſitionum rigore multarum aliarum, quæ ſuperfluæ eſſent, miſſionem necti debere perorabat.

Hæc medicorum, qui diverſis in provinciis degerent, diſceptationes cum datis miſſisque dicaſteriorum via literis gererentur; id inſuper habebant magni incommodi, quod omne negotium concinnandi, cujus proximo quoque tempore neceſſitas eſſe poſſet, normativi ſummopere morabantur. Anuo quinto, & ſeptuageſimo prima in hoc genere ſententia dicta a

CHE-

CHENOTO eſt: anno primo, atque octuageſimo nondum ad habendam, qua magiſtratus civiles adquieſcerent, agendorum normam fuit perventum. Interea Joſephus ſecundus imperium capeſſiverat. Is, finem rerum acceleraturus, CHENOTUM Viennam evocat, nominat conſiliarium ſanitatis, ſeſſionem apud conſilium aulæ bellicum, quod a pluribus jam annis omnibus pene contra Turciam limitibus præerat, deſignat, jubetque coram disputare ſententias ſuas cum facultate medica vienneuſi, cujus arbitrio objectum omne ſubduci non prorſus poſſe videbatur.

Inter illa dogmata, quæ circa doctrinam de contagio peſtis ultimis annis propoſuit CHENOTUS, novum, atque inſolens præ ceteris erat illud, quod, licet veſtes ab hominibus, qui peſtem haberent, portatas ſumma transplantandi contagii infamia notaret; tamen a mercibus, quales e Turcia ad nos deferuntur, omnem transferendi ſimul contagii facultatem prorſus doceret

ret abeſſe. Omnium, quæ retro erant, peſtium origines, a ſcriptoribus proditas, indagine critica perluſtrans videbatur ſibi comperiſſe, nulla cauſa eas ad qualiacunque mercium in provinciam illatarum genera; plurimis contra indiciis ad veſtes potiſſimum, ad utenſilia, ad homines ipſos referri oportere. Fatendum eſt (fuerunt enim mihi præ manibus ſumta ex archivo conſilii aulæ bellici, quæ huc faciunt, CHENOTI ſcripta) fatendum eſt, inquam, multa cum veri ſpecie virum in omni literatura peſtis ſummopere verſatum in hanc ſententiam peroraſſe. Poterat addere, eam, quæ in contumaciarum ædibus ubique obtinet, methodum tractandarum mercium ita comparatam eſſe, ut omnino nihil pene valeat ad fomitem peſtis, qui illis inſit, extirpandum, ut adeo, cum nullo domeſtico exemplo ſciamus per merces e contumacia miſſas contagium in provincias illatum eſſe, merito videatur inferri poſſe,

ne

ne tum quidèm infuiſſe fomitem mercibus, quum ad contumaciam advenerunt.

Sed probabilis ad medicos opinio ad publicam rem transferri nequaquam poterat. Itaque ſive id ſentiret denique CHENOTUS; ſive acriter contradicentibus concedendum hac in re cenſeret, ut majorem iſto etiam nomine in ceteris objectis apud ipſos audientiam haberet; non retractavit quidem opinionem, qui ſibi ex longa eorum, quæ conſtituta vellet, penſatione magis; quam pro eo, conſtabat; ſed tamen, ut illa fundamentum eſſet inſtituti civilis, non adurſit. Itaque, cum earum, quæ ad avertendam peſtem pertinerent, præceptionum ſummam, ulteriori facultatis medicæ viennenſis epicriſi ſubſternendam, certis capitibus novitus complexus eſſet, & ſubjecit merces neceſſitati moræ contumacialis, & in nupera, quam normativum anni ſeptuageſimi defixiſſet, earundem tractatione nihil commutavit. Eo magis ſperavit fore, ut, quæ de minuen-

da

da, quam homines obire debeant, periodi contumacialis longitudine, de vestium depuratione in lavandi assiduitate posita, de non perpetua habendarum contra Turcas ob pestem excubiarum necessitate ibidem protulisset, censorum judicio probarentur. Sed etiam, quod reprehendi non posset in novis dogmatibus, commendationem non tulit, & quæ minus probarentur, quo loco erant pleraque, severius perstringi, & sine discrimine rejici debere videbantur.

Itaque, licet imperator ipse multum eo proclivis esset, ut avertendæ pestis disciplina, quam potest, laxaretur; licet privata quorundam medicorum doctrina a facultatis medicæ consultis plurimum diversa esset, & ipsam adeo contagionis vim a peste alienam esse adsereret; tamen placita a CHENOTO proposita, & medio quasi loco inter discrepantissimas opiniones consistentia ad normativi dignitatem pervenire, atque typis exarari non potuerunt, unumque id factum regio nomine est, ut

CHE-

CHENOTI labor manu ſcriptus notitiæ cauſa communicaretur cum ſubſelliis militiæ limitaneis, atque ita, ut magis hauriendæ doctrinæ; quam ſumendis inde agendorum normis poſſet inſervire. Ergo obſolevit labor, ſaluti publicæ deſtinatus, in archivis, & forte magis; quam conſilio decem poſt annis perlatus eſt in manus meas, quem, ſive monumentum doctrinæ præteriti temporis, ſive adminiculum inſtituendi ævi præſentis, meo de peſte ſirmienſi operi, quod ſtatim a finitis negotiis ſcriptum nunc demum prelum ſubiit, inſerendum exiſtimavi.

Erant hæc ejusmodi, ut omnino deſpondere denique animo neceſſe ſit eum, qui videat conſilia ſua, tantis laboribus parta, tanto verborum, atque argumentorum apparatu commendata, necquicquam eſſe. Sed forte ſub idem tempus alia ex parte novi ad evolvendam porro quoque peſtis doctrinam ſtimuli CHENOTO acceſſerunt. Anno ſexto, & octuageſimo erumpit contagioſus

gioſus

giosus morbus in Transilvania: Rosenaviam primo; deinde Zeiden, & Holbach vicos inficit: Josephus, qua erat cura servandorum civium, semotis arbitris, rescissis disceptationum tergiversationibus, CHENOTUM accersit ad se, initaque coram consilia, & propositas agendorum regulas suaipse manu chartæ consignat, schedamque cursore extra ordinem profecto in Transilvaniam mittit, cum perpetuam paternæ solicitudinis tesseram; tum vero felicem rei gerendæ magistram: namque & paucissima fuit hominum ex ea peste jactura, & omnis diri contagii fomes brevi extinctus est.

Novis jam ex hac regiæ confidentiæ testificatione animis ad interpellatos adversa forte labores reversus CHENOTUS est. Opus dudum destinatum, quod & theoreticam de pestis characteribus, de natura, ac propagatione contagii doctrinam complecteretur, & fomitis domum illati extinctionem omnibus, quæ hic obtinere soleant, adjunctis accommodatam evolveret; opus,

cui adornando omnia undique præsidia a plurimis retro annis conquisiverat, quod omnia, quæ sparsim prodidisset, tutandæ civium salutis adminicula complecteretur, consummare aggreditur. Id altero post anno perductum ad finem est. Sed tunc Josephum cæsarem longius Vienna absentem alia negotia prorsus occupaverunt. Itaque labor indefessi viri in eorum manus convenit, qui non putaverunt, anno octuagesimo octavo proferri in lucem posse præceptiones tractandæ pestis, quæ ipsorum illorum auctoritate decem annis post, anno octavo, & nonagesimo, typis vulgatæ sunt. Hoc nempe anno prodita Viennæ sunt trattnerianis typis posthuma CHENOTI opuscula, germanico sermone scripta, quibus medicæ, & politicæ, quæ fieri debeant contra pestem, dispositiones exponuntur. *) Si hæc opuscula multorum

cir-

---

*) Titulus libri est: Adam Chenot's, der Medicin, und Philosophie Doctors, gewesenen

Kö-

circa peſtem inventorum gloriam nobis eripiunt, qui chenotiana doctrina carentes, nullo magiſtro, e ſolis curatæ obſervationis indiciis eodem pervenimus; tamen tantum abeſt, ut eorum editionem indignemur; ut potius id unice doleamus, potuiſſe aliquam eſſe in rebus humanis cauſam, quæ eandem editionem decem annos morata ſit, quæ opus tam utile, tam ad omnium noſtrum ſalutem comparatum tanto tempore potuerit publicæ rei ſubducere. Equidem, ſi nos, anno quinto, & nonageſimo profecti in Sirmium, planas illas, ſimplices, ac proxime ad praxin medico-politicam ducentes CHENOTI præceptiones, hocce opuſculo expreſſas, habuiſſemus præ manibus; ſi ideas viri experti publicæ ſanctionis auctoritas noſtris magiſtratibus dudum cognitas, atque familiares præſtitiſſet;

Königl. Sanitäts Phyſicus in Siebenbürgen, hinterlaſſene Schriften über die ärzlichen, und politiſchen Anſtalten bei der Peſtſeuche. Wienn bei J. Th. edlen von Trattnern. 1798.

Irreghinum, Sirmii oppidum, nequaquam duorum, & quod amplius, millium clade notatum haberemus.

Hoc opuſculum, uti quidem typis expreſſum eſt, duodecim capita complectitur: in manuſcriptis germanicis viri cel., quæ habeo præ oculis, invenio rudimenta capitis decimi tertii, quæ hiſtoriam peſtis tranſilvanicæ anni LXX & LXXI expediunt: videtur res eo tempore geſtas præceptionum prioribus capitibus comprehenſarum ſpecimen extare voluiſſe. Qui factum ſit, ut iſtud caput in impreſſo opere deſideretur, dicere non poſſum: ſed omnino confido, gaviſuros una mecum lectores eſſe, quod ejus ipſius hiſtoriæ exemplum latinum inter manuſcripta CHENOTI inventum eſt, & gratam fore omnibus optimi principis noſtri beneficentiam, quæ illud ab hæredibus redemtum voluit typis exſcribi, hujusque laboris procurationem mihi demandavit, ut ita ſucceſſu quoque ſuo æſtimari poſſint præceptiones, quas gravis, atque

ma-

matura auctoris oratio omnibus, ut nullus dubito, probabiles fecerit.

Plerasque CHENOTI lucubrationes sive in publicum proditas, sive magistratuum usibus dicatas diximus. Oportet unum adhuc viri assidui laborem commemorare, qui si minus proferri in lucem potest; tamen omnium maxime ostendit, quantum aut viri studium fuerit excolendæ, atque adeo exhauriendæ omnis de peste doctrinæ, aut ejusdem qualiscunque in hoc objecto sententia pondus debeat habere. Iam inde a prima, cui interfuit, peste transilvanica diximus virum cel. conquirendis undique majorum de peste placitis operam suam destinasse: impiger viri animus in hocce labore ad finem usque vitæ suæ perseveravit. Habui in manibus plicum magnæ molis, multis millibus phylirarum compositum, excerptis scriptorum de peste sententiis conflatum: non tantum omnis ævi medicos isthic notatos, & ex opinionum varietate discretos inveni; sed alios quo-

que omnium temporum ſcriptores, hiſtoricos, philoſophos, oratores, poetas, ut omnino nil videatur CHENOTUS intactum reliquiſſe, quod quoquo modo ad peſtis doctrinam pertineret. Ita cum quotidie novas in literatura peſtis acceſſiones faceret; nequaquam paſſus eſt eas indigeſtæ farraginis vice coacervari; ſed, uti, quoties per occaſionem licebat, iisdem ad ſtabiliendas ſententias ſingulares utebatur; ita extant in iisdem manuſcriptis rudimenta initi ad ſcribendam omnis ævi de peſte doctrinam ordinis, ut magis morte interciſus labor eſſe; quam ejus perficiendi conſilium defuiſſe debeat videri. Itaque redemta ab hæredibus eadem manuſcripta rex auguſtiſſimus bibliothecæ claudiopolitanæ muneri dedit, ibidem theſauri vice ſervanda interea; dum quis alter chenotus adjiciat animum ad conſummandum laborem, atque humani generis commodo, & rei literariæ incrementis plenam peſtis hiſtoriam exequatur.

In

Inter multiplices hosce, quos diximus, pro ſalute publica labores cum CHENOTUS ad annum ætatis octavum, & ſexageſimum perveniſſet; ex morbo, quem medici ejus temporis ad atram bilem motam referebant, mortuus eſt quarto idus Maji anno CIↃIↃCCLXXXIX. Res familiaris viro præſtantiſſimo tenuis fuit: namque, quo magis publicæ rei vacaret, abſtinebat ſe a privata praxi, quæ opes, atque emolumenta domeſtica ſufficeret: quo minus congrua laborum prœmia a civitate ferret; medicorum interceſſione factum eſt, qui eorundem dignitati perpetuo obtrectabant. Ita ad collegarum invidiam; non ad publicam ingratitudinem triſtior hoc nomine CHENOTI ſors pertinet, cujus exemplo videmur poſſe diſcere, dari caſus politiæ medicæ, ubi civitas melius adquieſcat in experientia unius; quam in disputatione multorum; dari medicos, qui, dum peſtem curare detrectant, affectant ejus

cu-

curandæ leges cernere; & denique ſæpe eos gloriæ rerum bene geſtarum, meritæque per id ad magiſtratus civiles auctoritati ſolere intercedere, qui rebus ipſis gerendis, quoniam periculum habeant, nolint intereſſe.

ARGU-

ARGUMENTA.

HISTORIA PESTIS

	Pag.
In Diſtrictu Coronenſi . . .	1.
in Territerio Calibaſonum .	*ib.*
Rosnaviae	10.
in Novo Tohan . . .	13.
in Tohan Vetere	17.
in Diſtrictu Fogaraſienſi	21.
in Butſum	*ib.*
in Magno Berivoi . . .	30.
in Netot	35.
in Sarkaicza	37.
in Sede Nagy - Sinkenſi . .	42.
Roſundæ	*ib.*
in Háromſzék	48.
in Xenodochio & Valle Bodzenſi .	49.
in Körös	72.

in

Pag.

in Kovászna . . . . 81.
in Bodola . . . . 86.
in Sede Csikensi . . . . 101.
in Sede Marusina . . . . 108.
De Repagulis, & Adjumentis adversus Pestem adhibitis . . 120.
Tabella summarium pestis transilvanicæ ann. MDCCLXX & MDCCLXXI specimen exhibens . . . . . ult.

1, Isa:

1. Isacium, & Smailum, tractus Moldaviæ, quem Ister præterfluit, oppida, circumjectique vici prima pestis, de qua scribere aggredior, sedes fuisse perhibentur. An ex sicubi recondito, & sub belli tumultibus protracto mali fomite; an aliunde recens adlato, ignoratur.

2. Superiore autumno bellantes Ruthenorum, & Turcorum exercitus eam regionem tenuerant: hi contagione expertes flumen renavigaverunt; illi, late regionem populati, per Moldaviam, & Valachiam hiberna sumserunt, atque Iassiis, Moldaviæ; & Bukuresti, Valachiæ metropoli-

bus prima, & ſecunda prætoria conſtituerunt. Iaſsiis primum inter milites, dein & indigenas morbus ſe ſe exeruit, maculis nigris, mortis velocitate, & mortuorum frequentia inſignis, pro febre caſtrenſi habitus; at reapſe peſtis: nam menſe Februario jam aliquot Moldaviæ ſuperioris loca, inter cetera, Campum longum, ſuo nomine nota, funeſtabat. Pariter & Bukureſtum: Ruthenorum enim velitum octo contubernales, menſe Decembri, exiguo temporis intervallo, cita morte deceſſerunt. Ceteri progreſſus, & incrementa mali adulto demum vere Tranſilvanis innotuerunt.

3. Adpropinquante exercituum eductione Moldavi, magis vero Valachi, & potiſsimum locupletiores Bukureſtienſes, ſecuritatis ergo, verſus Tranſilvaniæ fines catervatim confluxere: pars in ipſa limitum ora ſub tentoriis manſerunt; pars in ſubmontanis Valachiæ vicis conſtiterunt; reliqui ſanitatem probaturi xenodochia ſubiverunt.

4. Viarum, quæ Bukureſto in Tranſilvaniam ducunt, e commodiſsimis, & frequentiſsimis eſt in xenodochium terzburgenſe. Venientibus ultimo occurrit Valachiæ vicus, Rukur nomine, ubi hebræa ſub finem Aprilis ex peſte deceſſerat. Is vicus exeunte Junio ſexaginta funera numerabat.

5. Ab inde ſurgentia montium juga Valachiam a Tranſilvania diſterminant, & territorium pandunt, diſtrictus coronenſis appendicem, montuoſum, in quatuor præcipuas valles diſcretum, familiis ſexaginta quinque ſupra ſexcentas, hinc & inde ſparſis, habitatum. Vernacule appellantur *Calibaſones*, ceu Caſarios dicas, ſive caſarum habitatores. Habentur in re ſanitatis haud ſecus; quam alieni: poſitis enim ad citimas fauces excubiis horſum non admittuntur, niſi probaverint ſanitatem. In Valachiam pro libitu eunt, redeuntque. Commodum advenis aſylum, quia ſecuros belli præſtabat, & xenodochii tædio eximebat.

6. Peſte itaque in Valachia percrebreſcente, & territorio advenas, queis per infectum Rukur iter erat, hoſpitio domicilioque excipiente; Caſariis ipſis iſtum vicum, & interiorem Valachiam frequentantibus; aliter fieri non potuit, quam ut malum illo ſubreperet.

7. Exeunte Majo, venies Bukureſto municeps græcus in domum, ſecus viam, divertit, ubi duæ familiæ habitabant, ſordida lintea dedit puellæ lavanda, et poſtero die intravit xenodochium, ſanusque probationem explevit. Puella vero, aliquot poſt diebus, bubone ſub axilla ſiniſtra, & carbunculo in cubito dextro affecta, mortua eſt ex morbo quatriduano. Hanc ſecuti ſunt puer decennis, parvula quadriennis, & mater. Pater vero mitius habitus ex parotide pone aurem dextram; parvula sexennis ex bubone ſub inguine ſiniſtro, vitam reportavere. Prima funera palam efferebantur, & ſub exequiis epulæ, & linteamina pro more gentis diſtribue-

buebantur. Mater clam in horto humo mandata eſt.

8. Potiſsima morbi ſymptomata erant: horror, frigusque; ſubitanea virium labefactatio; præcordiorum anguſtia, calor, ſitis; immodicus capitis dolor; vomitus; mentis alienatio; memorati ſupra tumores: in cadaveribus vibices, & petechiae. His recognitis medicus Brukmann, & decumbente pariter puella ſexenni, morti proxima, veram peſtem 16° Junii declaravit, & ſuperſtites, mutatis veſtibus, in aliam caſam translocavit; infectam vero ſuccendit, & per totum territorium viſitationes ordinavit.

9. Verum geminati intra paucos dies in caſis vicinis, dein & remotis, occaſus palam fecere, calamitatem, dum lateret, longius ſerpſiſſe; nec una tantum occaſione coepiſſe: et crudo Majo duo viri poſt comiſsationem inopinato, & derepente interierant, qui nuper ex Valachia redierant: paulo poſt mulier, viridi juventute,

citra cauſam manifeſtam, immaturo partu conceſſerat: aurifaber græcus, in caſam vacuam díverſus, peſtiferam ancillam deſeruerat, & caſam illibatam infecerat: alter, diſtractione cremati vini victum quærens, ex vico Rukur in territorium ſe ſe recepit, & frequentiſsimam tabernam habuit: amiſſa ex peſte filia, mortis cauſam ſuppreſsit, & negotium continuavit: at exorta in vicina caſa lue verſus confinia ſeceſsit, ibique ipſe, & uxor peſtis victimæ ceciderunt.

10. Multo plures ejusdem propagatæ luis occaſiones ſerior dies detexit: nam ſub initium mali territorium quatuor ſupra viginti familias alienigenarum capiebat, qui, quemadmodum mox aiebam, primo quoque ægrotante, hoſpitia mutando, peſtem accipiebant, & dabant: Caſarii vero longe magis, coeundo in foro, moletrina, macello, popina; peſtiferos accurando, inviſendo; mortuos lavando, efferendo, inhumando; mortuorum tegumenta

par-

partiendo, diſtrahendo. En anſas contagionis, eo quidem fecundiores, perniciosioresque, quia neceſſariæ, aſsiduæ, & ex vitæ muniis oriundæ.

11. Et iſtis vetandis, cohibendis, moderandis, ſtatim atque peſtis innotuit, omni ope, ac opera adlaboratum eſt. Duplicatæ in montium perviis, qua Tranſilvaniam ſpectant, excubiæ; Corona civitas, ceteraque diſtrictus loca eosdem aditus vigiliis propriis obſidebant; delecti Caſarii confinem Valachiam intercludebant; diſtributi per regiones territorii viſitatores ægros conquirebant; parabolani in noſocomium traducebant; comitabantur purgatores, & veſpillones; omnes chirurgis parebant: hi enim non modo peſtiferos curare; ſed etiam præcautiones exigere docti, & juſsi erant.

12. At peſtifer fomes inter ægrorum mortuorumque cognatos, affines, vicinos, notos jam inde a principio, occaſionibus ſupra memoratis, longe lateque dif-

fuſus, ſingulis territorii regionibus, adulto Julio, calamitatem intulit, conceptasque de præcautionibus ſpes intercidit: jamque ægri, ſupellectiliaque contaminata ob diſtantiarum ſpatia, & inacceſſam curribus viam vix conquiri, & nequaquam transvehi poterant. Menſe Auguſto omnia triſtiora: crebra ubique funera: ægri a ſuis paſsim derelicti ſine indice moriebantur: quidam levamen ſub dio quærentes e caſis proreptabant: nonnulli, vi morbi in furorem acti, quaquaverſum discurrebant, & ubi ſors tulit, exanimes concidebant: ſuperſtites, contagione polluti, pars in ſilvas, ipſi ſibi exitio futuri, confugiebant; pars ad illibatos divertebant, & hos pariter inficiebant.

13. September calamitatem ad ſummum perduxit. Funera prius, & plura; quam ægri renuntiantur: chirurgi, horumque adminiſtri peſte ſaucii, & ipſi alienæ opis egeni, publicæ rei fruſtra erant, remediaque mali peſſum ibant. Unum ſuper-

perſuit, domos adhuc integras occaſionibus ſubripere, & pro virili tutas præſtare.

14. Octobri ineunte peſtis velut in ambiguo hæſit; adulto, ab apice deſcendit, & purgationi, fomitisque deletioni, cui deinceps curatiſsime, & ardentiſsime vacatum eſt, ſpatium dare coepit. Novembri evidentius remiſit. Decembri relanguit, & Januario deſiit.

15. Inſtituta, & quam diligentiſsime ſequente Majo peracta conquiſitio reperit in territorio domos nuper infectas 236; ægros 743, mortuos 615, reſtitutos 128: mortuis accenſi ſunt advenarum 31, & duo chirurgi: ceteri contagionis adminiſtri, undecim numero, reconvaluerunt, & argumentum reliquerunt, artem medicam adverſus peſtem multum poſſe, ſi, ut apud hos factum eſt, tempeſtive omnibus, & ſingulis ægris adeſſet, aut adeſſe poſſet. Territorium omne, ut ſupra diximus, habet, domos 665; habuit ante peſtem habitatores 3106.

Ros-

Rosnavia.

16. Eſt diſtrictus coronenſis oppidum, cis territorium Caſariorum itineris horam ſitum, Saxonibus habitatum: habet vicum proximum, ducentarum undecim caſarum, Valachis proprium: ſeſſores ante peſtem 1033.

17. Vicaneus, Valachiam territorio confinem poſtremis Auguſti diebus clanculum ingreſſus, & ſimiliter regreſſus, ſecundo Septembris, nocturnis horis, rure, quo pecus quæſitum iverat, ſubito horrore, continuante frigore, immodica virium labefactatione, infando capitis dolore, præcordiorum anxietate, vomituque corripiebatur, & vexabatur: laborioſe domum reverſus ſumſit, ut frigus propulſaret, viresque reficeret, vini cremati hauſtum: inde calor, ſitis, irrequieta ſomnolentia: tertio die, vomitu perpetuo premente, anguſtia præcordiorum, collapſione virium magis magisque ingraveſcentibus, æger opinione ſuorum citius interiit: vibi-

vibices, & petechiæ cadaver deturpabant.

18. Patruus ſeptuagenarius, qui ægro, morientique adſtiterat, cadaver laverat, & loculo impoſuerat, ſexto poſt die (Septembris undecimo) paribus initiis impetitus, & ærumnis triduum agitatus, abs agone, nemine cogitante, exſtinctus eſt: cadaver petechias, & tumorem ſub inguine exhibuit.

19. Decimo octavo Septembris lues primæ domus vicinum ſeſſorem invaſit: moriebatur, ſimili morbi decurſu, intra triduum: petechiæ cadaver variabant. Lodix clanculum ſubrepta malum intulit. Mox uxor, prolesque duæ correptæ ſunt; filiola decennis morbum ſuperavit.

20. Ipſis diebus primi ægri vidua, ejusque filia periculoſe decubuerant: inveniebantur 23° Septembris, mater quidem quinque carbunculos, & duos bubones, ſub ſingulo inguine unum; filia tres carbunculos, & bubonem gerentes: ambæ reconvaluerunt.

21. Ineunte Octobri paternam iſtius viduæ domum contagio invaſit, & octo animas infecit: duæ emerſere: mater leviro, filiæ, nepti, ſenique adſtiterat. Ab inde tranſiit malum ad filios duos, propriam famliam habentes: binæ quatuor ægros, & ex his duos reconvaleſcentes habuerunt. Ita peſtis quinque ejusdem proſapiæ familias funeſtavit.

22. At præter haſce conſanguineas, vicinamque ſupra dictam adhuc quinque infectæ fuerunt. De una conſtat, cum quadam iſtarum communionem habuiſſe, & alteram, tertiamque contaminaſſe: de quarta autem, et quinta, qua occaſione virus ceperint, comperiri non potuit. Omnes hæ numerant quatuor & decem ægros, & tres duntaxat reſtitutos. Itaque vicus undecim domos intra tres menſes habuit infectas; quatuor ſupra triginta peſtiferos; viginti quatuor mortuos; decem in ſanitatem reverſos.

23. Primus, alter, & tertius occaſus ſtatim, & tempeſtive innotuerunt: nam ſenatus coronenſis intra ditionem ſuam ordinate, & diſtincte in hanc rem diſpoſuerat. Qui ægris adſtiterant, & qui converſationis ſuſpecti videbantur, domibus ſuis circumcluſi, & omnem ſuppellectilem lavare juſsi ſunt: at neutri ſcopo plene ſatisfactum eſt: præcautio tamen eo profuit, ut miasma peſtiferum parcius, & lentius vulgaretur. Contra incuriam, aſtutiam, & contumaciam vulgi in peſte nunquam ſatis cautum eſt. Optimo itaque conſilio familiæ decem, primum contaminatæ, in territorium; ultima in vicum, de quo mox agam, transductæ ſunt. Secuta domorum purgatio fomitem mali penitus reſtinxit.

Novum Tohan.

24. Vicus hic Valachorum eſt: diſtat a territorio dimidiam; a Rosnavia totam itineris horam: habet ſupra centum tre-

de-

decim domos, quas ante peſtem quingentæ ſexaginta animæ habitabant.

25. Quatuor defoſſa humo tuguria vicum verſus territorium finiunt. In horum uno vetula tres nepotes alebat, puellum ſeptennem, duasque puellas, ſexdecennem unam; alteram quinquennem.

26. Decimo tertio Septembris puellus ſeptennis (ita narravit vetula) ſubito horrore, validoque, & diu continente frigore prenſus, tenſionem, dolorem, calorem ab aure ſiniſtra verſus os querebatur: noctem egit utcunque quietam: poſtridie parotis ejusdem lateris intumuerat: nato heri ſuper maxilla tumori bullulæ, lentis magnitudine, inſederant: tertio die omnia pejora: ruptis bullulis nigror ſucceſſerat: quarto die, mentis parum compos, inter perpetuas volutationes vitam finivit.

27. Decimo quinto Septembris binæ ſorores horrore, nauſea, vomitu, ingenti capitis dolore petebantur, & vexabantur:

poſtri-

poſtridie binis tumor ſub utroque inguine prodierat; vomitus perſiſtebat; calor frigusque ſe ſe invicem excipiebant: mors uni decimo ſeptimo; alteri decimo octavo Septembris obvenit.

28. Vetula, præcipiti gravique ſuorum ægritudine territa, vicinas advocaverat, & ægros, petitura conſilium, circumtulerat. Jamque e vicinis filia 16° Septembris; mulier uterum gerens decimo octavo; altera viceſimo peſtem conceperunt: ſecuta eſt 25°. alia mater familias: & 30°. agricola in dumetis, haud procul vico, repertus eſt, peſte laborans, & ſub axilla ſiniſtra gerens bubonem. Itaque contagio a medio Septembri usque exeuntem menſem ſex domos funeſtaverat, & interea mortiferum ſeminium late disperſerat: crevit eundo usque finem Novembris: ab inde pedetentim remiſit, & ineunte Februario deſiit: domos infecit quinquaginta octo; prehendit animas centum ſexaginta; interemit centum

vigin-

viginti unam; ſauciatas reliquit triginta novem.

29. Prima funera ſtatim renuntiata, & perviſa fuerunt. Superſtitibus in territorium translatis, primum tugurium ſuccendebatur; alterum, quia prope domos erat, arcte claudebatur, & vigiliis muniebatur. Mox totus vicus excubiis circumſeſſus eſt in tutelam circumjacentium vicorum. Quod quidem providentiſsime factum: nam diffuſum, ut innui, hinc & inde ſub ipſis initiis virus ſævire mox occoepit, nec continuatæ usque medium Octobrem infectorum, & ſuſpectorum transvectioni auſcultavit. Forſan tamen demum profuiſſet: verum vectigaliarii terzburgenſes, qui, ante ſecuri, nunc, neſcio cujus perſvaſu, in metum adducti, ne miasma ex aere, dum ægri præter veherentur, in ædes penetraret, interceſſerunt. Et quamquam prætenſa ratio vana eſſet, ſatius tamen viſum eſt abſiſtere; quam eos in perpetua trepidatione relinquere.

30. Extinctionem mali juvit, promovit, & acceleravit incœpta, mox ubi remiſit, accurateque, & aſsidue continuata purgatio.

31. De occaſione peſtis in hoc vico ortæ nihil certum proferam. Vetula a ſocero, proxime cis territorium ſedente, tertio abhinc die domum retulerat lanam, quæ facile e territorio inquinata venerit, ex qua puellus ſeu tractando, ſeu ludibunde deſuper cubando peſtem conceperit.

Tohan Vetus.

32. Eſt militiæ vernaculæ vicus ſexaginta duarum ſupra centum domorum: numerabat ante peſtem ſexcentas quinquaginta animas.

33. Vidua, valido ægritudinis inſultu petita, moriebatur vigeſimo tertio Septembris: cadaver nihil præter petechias oſtendit. Propingui, & vicini, ſive ita crederent, aut credi vellent, ajebant: „ ægram totos octo dies jacuiſſe; ſine præ-

„ vio horrore, & frigore, ex longa alvi „ obſtructione colicis doloribus vexatam „ crebro vomuiſſe; vini cremati multum „ ſumſiſſe; medicaſtram bryoniæ deco„ cto caput, & abdomen ægræ laviſſe; pe„ techias ex perverſa medela prodiiſſe. "

34. Concinnata ad veri ſimilitudinem narratio peſtis ſuſpicionem non penitus ſubmovit: ſuperſtitibus domo egredi interdictum, & deforis vigiliæ appoſitæ ſunt. At vigeſimo octavo Septembris ſuperſtitum filiarum una, ac mulier, quæ viduæ adſtiterat, in morbum lapſæ, bubonibusque ſignatæ, & intra quatriduum mortuæ, omnem dubitationem ſuſtulerunt.

35. Quæ duobus vicis, Rosnaviæ, & Novo Tohan, nuper prætenſæ fuerant excubitorum ſtationes, viris auctæ, recens infectum ſtatim circumcluſerunt. Interea de obeundis viſitationibus, conquirendis ægris, & cuſtodiendis domibus peſtis ſuſpectis diſpoſitum eſt. Mox eventus docuit, fomitem mali opinione latius profer-

pſiſſe: una, altera, & tertia domus inveniebantur infectæ, & ſeſſores transducebantur in territorium usque 20um Octobris, quo ab ea præcautione, ut ſupra dixi, deſtitum eſt. Ab inde novi ægri in domum pro noſocomio vacuatam adlati; ſuspecti ſeorſim collocati; ſupellex purgationi accepta; verbo: quæ ad extinctionem mali neceſſariæ erant operationes, fideliter, & aſsidue exactæ fuerunt.

36. Principio manifeſtæ peſtis milites vico exceſſerant, & prope caſtra ponere conſtituerant: conſilium ſanitatis reprobavit: „vix enim milites omni domorum „ ſuarum viſione ſe abſtinere, neque diu, „ quum hiems inſtaret, perſiſtere poſſe: „ vitato ſolicite cum infectis congreſſu, & „ ſupellectilis ſordidæ uſu ſalutem etiam „ in vico penes ipſos eſſe: id ſi fecerint; „ malum brevi extinctum iri."

37. Paruerunt lubenter, & imperata diligenter perfecerunt; eventus quoque edicto fidem fecit: nam intra duodecim

domos peſtis circumcluſa defecit, et Novembris dies duodecimus ultimum ægrum dedit. Noſocomii curam gerebat chirurgus ex Novo Tohan: ambo vici una duntaxat hora diſtant.

38. Exacta purgatione, & expleta fideliter probationis ſolitæ mora vicus hic, & Rosnavia decimo quarto Februarii, omnium infectorum locorum primi, circumcluſione liberati, & communi ſocietati reſtituti ſunt.

39. Antea autem ſingulis ſeſſoribus de detecta, & purgationi ſubdita ſupellectile jusjurandum delatum eſt: vespillo, qui matris, ſororisque, ex peſte mortuarum, reſidua veſtimenta humo defoderat, recelare; quam pejerare maluit: refoſſa, mox combuſta, reſurrecturæ contagionis periculum extinxerunt.

40. Unde illa, & qua occaſione hic primum orta ſit, ſpecialiter comperiri non potuit: vicanei tantum ediſſeruerunt, pueros

Novi Tohan iisdem, queis ibi peſtis coeperat, diebus viduæ calamitatem attuliſſe.

In Diſtrictu Fogaraſienſi.

Butsum.

41. Eſt militiæ vernaculæ vicus ſexaginta novem domorum: in his ante peſtem animæ ſedebant ſupra tercentas decem & novem.

42. Miles hujus vici ſeſſor, furacitatis manifeſtus, obita proxime territorium caſariorum excubiarum vice, altero Octobris die ſupellectilem domum reportavit. Hujus uxor, quintum menſem gravida, in morbum inopinatum lapſa, tertio die abortiit, & mortua eſt: is dies erat Octobris tertius decimus. Ipſa edixerat conjugem ex ſtatione ſibi mortem attuliſſe, & mox a morte pater militis ſeptuagenarius, ſubitaneo obitu conſternatus, parocho primum, dein amicorum uni ſolicitudinem ſuam aperuit, quod nurus ex peſte periiſſet: „ei „ſub inguine dextro tumorem, magnitudine

„ pugni, emerſiſſe; poſt mortem concidiſſe:
„ ſuſpicari ſe filium ex ſtatione peſtem re-
„ portaviſſe. "

43. Decurio, parochi aliorumque ſvaſu, domui mox excubitorem appoſuit, & caſum centurioni, horam itineris ab inde degenti, renunciavit: miſſus centuriæ chirurgus cadaver viſit, ac morbum pro vulgari, & innoxio declaravit, reclamantibus haud paucis: „ non recte obſervaſſe, & „& alium chirurgum advocandum eſſe." Uxor ſubcenturionis (is domo aberat) motum quadamtenus compeſcuit dicendo: „ ſe „ ægram unxiſſe, nullumque tumorem inve- „niſſe:" at parochus, nihil motus, exequias ritu ſolenni ducere abnuebat: mulier coegit miſsis duobus armatis; domus, centurionis juſſu, excubiis liberata eſt, permiſſaque ſuperſtitibus cum ceteris incolis converſatio.

44. Duas ſeptimanas ſiluit malum: poſt divertit in domum paternam, & militis mater obiit ex morbo triduano 26°

Octo-

Octobris: illi parotidis dextræ insignis tumor, & sub mento macula nigra (procul dubio carbunculus) subnata erant.

45. Apposito interim excubitore, casuque ad centurionem perlato, is ipse chirurgus a dentium dolore, cui mulier obnoxia fuerat, tumorem, & maculæ originem repetiit, & morbum pestem non esse per caput suum adseveravit, secus sentientes acriter increpans, „ ceu vicum pe„ stis labe perperam infamarent: " nihilominus vicanei domum ingredi, funusque eferre, & comitari abhorrebant: at subcenturionis uxor verbo, & exemplo nonnullos persuasit: ceteri ne mandato quidem paruerunt, & fuerunt inter hos lingua intemperantes, consiliaque miscentes, qua ratione superstites a communione ceterorum arcerent: hinc absolutis exequiis duodecim milites, ad centurionem citati, in custodiam trahebantur: hac exacta, centurio acriter corripuit, „ quod ob „ duo funera motus cierent, & supra se

 „ sa-

„ ſapere vellent: chirurgum peſtis indicium „ non inveniſſe: ſe in caſtris centena uno „ die funera absque peſte vidiſſe: nemo „ deinceps auſit de peſte loqui: in eum, qui „ ſecus fecerit, ſcipione animadverſum „ iri: penes ſe imperium, ceteris parendum eſſe." Similiter ſubcenturio, interea reverſus, ſuccenſuit: „ viderent, ne ſparſo „ perperam peſtis rumore vicus circum„ cludatur, eisque fame pereundum ſit: „ ſi domi fuiſſet, ſe ſcipione peſtem expul„ ſurum fuiſſe."

46. Eadem ſeptimana reverſa ad primam domum contagio militis ſocrum, ejusque ſeptennem filiam ex morbo quatriduano peremit: luſtratis cadaveribus chirurgus de indole morbi, ut prius, pronunciavit: at in paterna domo ſenex, hujusque duo coelibes filii ab heſterna die graviſsime habebant: chirurgus, jam ſibi metuens, ægros foras evocavit: at eosdem manu contingere non ſuſtinuit; ſed eminus interrogavit, ac morbum contagioſum,

ne-

nequaquam tamen peſtem eſſe edixit: aderat ſubcenturio, & vicanei jurati: ſenex mortuus eſt ſeptimo; filii octavo Novembris. Sic ex eadem proſapia, quæ undecim animas habuerat, octenæ breviſſimo morbo, & ex his ſeptem intra ſpatium decem dierum perierant.

47. Neque ſic centurio adduci potuit, ut adeo crebros, repetitosque caſus ſuperioribus aperiret: id demum fecit militiæ germanicæ ſubcenturio, dato primum ad centurionem nuncio, qui ab inde ad conſilium ſanitatis coronenſe pervenit.

48. Adfuit 10° Novembris medicus Brukmann, qui cognita caſuum ſerie, & internecina velocitate, veram peſtem eſſe declaravit: cetera enim morbi adjuncta, & accidentia ne tum quidem centurio, ſubcenturiove, aut chirurgus revelaverunt, ſive ex conſcientia culpæ, ſive quod ſperarent, medicum ad ſuas partes eſſe tranſiturum. Noviſſima nocte ceciderat in morbum ſuperſtes infortunati militis novennis puella: inter-

roga-

rogata nihil præter capitis dolorem querebatur; trucem tamen, & abalienatum vultum, ut peſtiferi ſolent, præferebat: ceterum in toto vico nullus æger repertus eſt.

49. Medicus humatis cadaveribus, & præcepta ſupellectilis peſtiferæ purgatione diſpoſuit, ut paterna domus, ſeſſoribus deſtituta, obſeraretur; altera vero, quæ peſtis incentorem, duasque proles, & conſanguineam coelibem in auxilium advocatam habebat, omni commercio intercluderetur, & ambæ ab excubitoribus extus cuſtodirentur; vicanei conventibus ſe abſtinerent; viſitatores circumeundo de ægris inquirerent; vigiles ex propinguis vicum infectum circumſiderent, & contagionem introrſum coercerent.

50. Poſtero ab abſceſſu medici die filia novennis, de qua ſupra; pater 13° Novembris; & filiolus quinquennis 15° Novembris mortui ſunt: coelebs cadavera humavit; at eodem die peſtem concepit: bubonem ſub inguine ſiniſtro; carbunculum

lum in abdomine habuit, & convaluit: ægrotanti ſubcenturionis uxor alimenta ſuppeditavit: caſus iſte totum fere menſem latuit.

51. Interea mater alterius familias, infectis cognatæ, jam a 12° Novembris peſte laborabat: ex tribus bubonibus ſub axilla dextra, et utroque inguine clanculum decubuit; clanculum convaluit: in alia domo duo puelli, ſeptennis quidem 22°; quinquennis 25° Novembris ex morbo triduano mortui ſunt: renunciatio mortem ab epilepſia, cui puelli obnoxii fuiſſe perhibebantur, repetiit: reapſe vero peſtis erat, neque epilepticos adſultus, præterquam ab aliquot retro annis ex variolis, unquam habuerant, quemadmodum mater mihi poſtea narravit: rurſus alius familias pater, 22° Novembris peſte correptus, ſub axilla dextra, & inguine dextro bubonem habuit: denique filius viduæ quatuordecim annorum 24° Novembris ex peſte decumbebat.

52. Eo

52. Eo ipſo die ſcripſit centurio Coronam ad præſidem delegati ſanitatis conſilii, binas primum infectas familias plane exſtinctas eſſe; coelibem valere; nullumque ab inde peſtis indicium in toto vico verſari: conſilium reſcripſit, coelibi domorum purgationem imponendam eſſe: præſcripſit normam, ad quam opus perficeret.

53. At centurio jam 3° Decembris palinodiam cecinit, transmiſsis ad conſilium ſubcenturionis literis: hic ſcribebat: „ noviſsima nocte mulierem cum macula livida in brachio dextro obiiſſe: duos pueros decumbere, & ſub inguine tumores habere: deum noſſe, quid hoc ſit: ſe morbos non intelligere: ſeptem in vico ægros dari, ſexque domos interclusas eſſe. “

54. Ab iſto tempore diſpoſitiones, quas medicus Brukmann inſtituerat, rite, & accuratiſsime perfici coeperunt: 10° Decembris alius chirurgus bene peritus comperit undecim domos peſti obnoxias;

in

in his quindecim decumbentes; mortuos a principio viginti unum.

55. Toto Decembri contagio magis magisque invaluit: & infelix chirurgus qui funeſta, neſcio ignorantia, conniventiave, an pertinacia malum prolatavit, dedit 27° iſtius menſis ex ſe ſe tabellam, in qua domus infectas 21; mortuos ab initio 38; reſtitutos novem; adhuc decumbentes octo; proin peſtiferos 55 recenſet.

56. Menſe Januario peſtis unicam domum recens invaſit, pedetentim decrevit, & cum eo defecit. Facta poſt diſquiſitio reperit funeſtatas domos 22; infectos 65; interemtos 46; reſtitutos 19. Profecto, ſi ullibi, certe hic peſtis intra prima exordia contineri potuit: cognitio primi caſus, hujusque occaſionis; plebs ſalutis ſuæ ſolicita; incommodis politicarum diſpoſitionum nuper territa; ad omnia obſequia paratiſsima; hæc, inquam, ferebant adjumenta, quæ fere ſemper, & ubique deſiderantur.

Ma-

Magnum Berivoi.

57. Rivus præterfluens dividit parvum a magno: ille peſtis expers fuit; de magno hic ſermo eſt: habet domos 64, quas 296 animæ ante peſtem habitabant: diſtat a Butsum duas itineris horas: non paucæ familiæ pertinent ad militiam vernaculam.

58. Omnes vicanei ex Butsum contagionem ſago inquinato adlatum eſſe conſtanter aſſerunt: de tempore, & authore non ita compertum eſt: fullo, ad quem ſagum miſſum fuit, fere ſeptuagenarius, poſt triduanam ægritudinem, ſuorum expectatione citius, mortuus eſt 26° Novembris: hujus frater, & filius vibices, maculas, & puſtulam fabæ magnitudine adverterunt, quas tunc peſtis indices ſuſpicabantur.

59. Secuta eſt puella domus vicinæ, apud fullonem quotidiana: ægro, mortuoque adfuerat, & cum hujus filia haud infrequenter cubabat: obiit 3° Decembris

ex

ex morbo quatriduano: parentes a ſubito, validoque horrore mortis cauſam oriri contendebant, & chirurgus, qui cadaver viſit, nullum ſe peſtis indicium comperiſſe retulit: at 19° Decembris inventa ſoror cum duobus bubonibus falſi parentes convicit.

60. Hanc excepit apud fratrem fullonis pupilla quadriennis 10° Decembris; hujus mater 12°, quo itidem die ipſa fullonis filia, bubonem ſub inguine ſiniſtro gerens, decumbebat: 13° mortuus eſt infans quadriennis, bubonibus ſub axilla ſiniſtra, & inguine dextro ſignatus: hujus ſoror quoque jacebat cum bubone ſub inguine ſiniſtro: 14° in quinta domo mortuus eſt herus cum petechiis: chirurgus, qui ultima cadavera, & ægros viſit, peſtem eſſe dixit.

61. Circiter dimidiam a vico itineris horam ſtabant tuguria, ludicris caſtris ſuperiore autumno uſitata: tribunus velitum vernaculorum, qui viſitationi intererat, omnes ſeſſores quatuor domorum cognatarum 16°; deinde 20° Decembris quintæ ſeſ-

ſores

ſores una cum ægris illo tranſtulit: tuguria ſic diviſit, ut ægri a ſanis ſeorſim eſſent: horum duas claſſes fecit: eorum, qui reapſe ſe ſe ægrorum conſortio contaminaverant, & eorum, qui cum poſtremis hisce convenerant, aut ſaltem conveniſſe ſuſpecti erant: in ambitu tuguriorum conſtituit vigiles, qui continerent translatos, & fors advenientes arcerent: intus quoque vigilias poſuit, ut ne diverſæ ſeriei homines inter ſe convenirent: vacuatæ in vico domus oppeſſulatæ, & excubitoribus pariter concreditæ ſunt, ne quis vim faceret, & ſuppellectilem auferret: vicus ipſe octo ſtationibus circumſidebatur.

62. Interea dum iſtæ familiæ transferrentur; aliquot aliæ, veſano peſtis metu territæ, in proximam ſilvam confugerant: repertæ in caſtra transductæ ſunt, quia metuendum erat, ne quid ſeminii peſtiferi ſecum tuliſſent: probationem ſeorſim a ceteris expleverunt ſani, & demum in ſuas domos redire permiſsi ſunt.

63. Oppi-

63. Oppidum Fogaras, a castris duas horas dissitum, recipit rivum, qui castra præterfluit, in quo pestis fomite inquinata supellectilia lavari debuerunt: oppidum metuebat, ne aqua rivi noxam inferret: superum sanitatis consilium sine metu esse jussit, & rem verisimilitudine destitutam, ab omnique experientia alienam esse declaravit.

64. Ipsissimo tempore ingens quoque pestis metus Cibinienses incessit: Fogarasienses enim renunciaverant adolescentem in Butsum famulantem, nepotem fullonis in Berivoi primum infecti, postquam fatale sagum in domum avi attulerat, fugam cepisse, & in vicum sedis cibiniensis, a metropoli sesqui horam dissitum, divertisse: multi fortuita, ut adsolet, in culpam trahentes criminabantur, quod consilium sanitatis citimæ fluvii Alutæ ripæ prætenturam non ante objecisset: at metus inanis erat, & brevis fuit: nam tertio post die compertum est, adolescentem in

Butſum continenter manſiſſe, & prorſus inſontem eſſe.

65. At domus, quæ primam a fullone mortuam habuit, 22° Decembris alterum funus, prioris ſororem trium & decem annorum, etulit, & prius infectam fuiſſe comprobavit: item in alia domo ejusdem cognationis filius octodecim annorum poſt tertium ægrotationis diem cum petechiis decesſit: poſtridie omnes ſuperſtites translati ſunt ad caſtra.

66. Octava domus alebat ex miſericordia ſeptuagenarium: hic mortui fullonis ſagum, & femoralia dono accepit: moriebatur bubonem ſub inguine habens 22° Januarii: ſeſſoris familia poſtridie in caſtra transducebatur.

67. Ita patet octo domos hujus vici peſte funeſtatas fuiſſe: memoravi ægros mortuosque in vico repertos: ceteri in caſtris peſtem conceperunt: omnes faciunt 25 infectos, ex queis viginti perierunt; quinque tantum reconvaluerunt.

Ne-

Netot.

68. Eſt vicus quinquaginta ſeptem domorum, in queis 370 animæ ante peſtem ſedebant: ſeſſorum nonnulli ſunt militiæ vernaculæ.

69. Velitis uxor ſorori, quæ ſecunda in Berivoi ex peſte obiit, adſtiterat: hæc poſt exequias induſium mortuæ domum reportavit: ipſa ejusque maritus 21° Decembris ex morbo triduano vita deceſſerunt: cadavera petechiis foeda erant: ſuperſtites parentes eodem die ad caſtra transducti ſunt, ubi ſani permanſerunt.

70. Quatuor familiæ habitabant in eodem cum infecta ambitu: vacuata domus peſſulis bene clauſa, & ceteræ habitatæ excubitoribus circumſidebantur ob ſuſpicionem, ne ægrotantibus adſtitiſſent, aut interveniſſent: ultra duas ſeptimanas perſtabant ſanæ: at circiter medium Januarium contagio inter familiam novem animarum erupit, & duas proles ſuſtulit: ſequebantur 22°, 23°, 26° totidem prolium funera:

parentes duo prima celaverunt; ultima ſingillatim decurioni militiæ vernaculæ, & comarcho vici indicaverunt: hi vero adeo non renunciaverunt, ut potius mortem intentarent parentibus, ſi alia via aperirent: itaque haud ſecus; ac cum nuperis cadaveribus fecerant, ſic ſecunda clanculum in horreo humaverunt.

71. Tandem, quum miniſtri purgatum venirent, inventi ſunt primo Februario pater ipſe, & reſiduæ proles mortuæ ſola ſuperſtite matre, quæ & ipſa, mitius habita, cum carbunculo reconvaluerat: ultima hæc cadavera bubonibus ſignata erant: in vicina domo jacebat adoleſcens 15 annorum ex peſte pridie oborta, bubonem gerens ſub axilla ſiniſtra: hic cum omnibus ceterarum domorum ſeſſoribus eodem die ad caſtra translatus obiit 4° dicti menſis: ceteris peſtis pepercit, & intra tres iſtas familias quievit, duodecim animas impetivit, & ex his unicam in vivis reliquit.

Sar-

Sarkaicza.

72. A vico Butſum quartam tantum horæ partem diſtat: habet domos octo & nonaginta: numerabat ante peſtem viginti duas ſupra quingentas animas.

73. Quæ mox exorta, & extincta demum peſte factæ ſunt perquiſitiones, evincunt malum ex Butſum huc fuiſſe adlatum: de modo discrepant: quidam teſtes ajunt adoleſcentem butſumienſem, ineunte Decembri, in ſilva utrique loco communi ex peſte mortuum, a quo ſarkaiczenſis porcarius inter cetera cingulum laneum acceperit, indeque peſtem conceperit: aliunde conſtat hujus matrem binarum primum in Butſum infectarum domorum familiarem fuiſſe, & inde lanam, quo tempore peſte flagrabant, retuliſſe: nec minus certum eſt militem vernaculum, qui malum in Butſum intulit, prima Novembris ſeptimana apud eandem mulierem divertiſſe: atque hinc naſcitur ſu-

ſuſpicio, eundem forſitan illi ſupellectilem infectam concredidiſſe.

74. Quidquid ſit harum occaſionum, quævis ſufficit ad peſtem propagandam: etſi enim ex lana ſupellectilive ante Decebrem contagio oriri debuiſſe videatur; facile tamen evenire potuit, ut mulier malum ſuſpicata aut lanam, aut ſupellectilem ſeriori demum die expromſerit, filioque ſuo tractandam dederit.

75. Hic 14ª Decembris, jam ægrotus, domum rediit, & tertio poſt die mortuus eſt: cadaver exhibuit chirurgo viſenti duos carbunculos in antica tibiæ parte, & parotidem ſiniſtram tumefactam, petechiasque per totum ſparſas: indubia peſtis indicia, quam reapſe eſſe eventus confirmavit: poſtridie vicus ſtationibus circumcludebatur.

76. Ab iſto porcario, qui cum matre intra domus herilis ſepta habitabat, malum tranſiit ad filium heri quatridecennem, qui decumbenti, & morienti adſederat. deceſsit 22º Decembris ex morbo tridua-

no-

no: pariter uſque finem Decembris octo ceterorum domeſticorum mortui ſunt, ſicque eadem familia intra exiguum ſpatium decem funera extulit: herus, & famulorum unus manſerunt intentati.

77. Interea dum iſti ægrotarent, calamitas ſimul populabatur familiam affinis, qui ſocrus heri frater erat: ipſe, uxor, & duæ proles perierunt.

78. Et tota hæc clades tam præceps in hiſce domibus fuit, ut fere prius de mortuis; quam de ægris compertum ſit: ſuperſtites ad caſtra transducti ſunt, & videbatur malum penitus extinctum: at ſexto Februarii gravida mulier moriebatur ex morbo paucorum dierum: propingui adſerebant ex inſuperabili carnis appetitu, cui ſatisfacere mox non poterat, primum abortiiſſe, dein deceſsiſſe: chirurgus in cadavere nihil reperit, quod peſtem indicaret: juſsit tamen ſuperſtites, circumpoſitis excubitoribus, egreſſu intercludi: provide quidem: nam mortuæ pa-

truus 25° Februarii æger renunciabatur: habebat ſub axilla dextra bubonem: mox ad caſtra cum ſuis transvectus eſt, ubi poſtero die deceſsit.

79. Quinque itaque familias hic vicus habuit infectas; peſtiferos decem & ſeptem, quorum nullus convaluit.

80. Haud procul fuit, quin alter vicus, Neo-Sinka dictus, peſte quoque adfligeretur: ultra hunc mediam circiter horam duæ familiæ habitabant totidem tuguria: ſeſſor unus, nihil quidquam mali ſuſpicans, diverterat, & pernoctarat 15° Decembris in prima domo Sarkaiczæ infecta: poſtridie domum reverſus, ex præcordiorum anguſtia male habens, & temulento ſimilis, dolores perſenſit verſus cava axillarum, & inguina recurrentes: 17° utcunque levatus, morbum venatione diſcutere tentavit: inde retulit germina bubonum ſub utroque inguine, qui poſtea in magnitudinem ovi gallinacei excreverunt: 18° lectum tenuit: 19° ſatis virium habuit, ut in

vi-

vicum iret, & in ecclesia sacris adesset: 20° longe pejus habuit: 21° avide comedit, & bene, ut suis videbatur, dormivit: 22° inexpectato mortuus est: chirurgus cadaver lustrans bubones collapsos invenit, & ex peste mortuum esse dixit: mox infectum, huicque proximum tugurium, & duæ in vico domus, quas æger adiverat, vigiliis circumdatæ sunt.

81. Re comperta mox dispositum ibatur, ut superstites una cum iis, qui ægrotantem inviserant, in castra transferrentur: verum literæ, mandatum perscribentes, culpa tabellarii tardius advenerunt: interea demortui filius tredecennis, 2° Januarii solitis pestis symptomatibus petitus, bubonemque nactus, postridie mortuus est: atqui tunc demum superstites, & proximi tugurii sessores ad castra transvehebantur mox succensis ambobus tuguriis: ambæ familiæ perstiterunt sanæ, nihilque ultra in novo Sinka accidit mali.

In

In Sede Nagy-Sinkenſi.

Roſunda.

82. Eſt vicus ſedis, ſeu circuli ſaxonici nagy-ſinkenſis, quem Aluta flumen dividit a diſtrictu fogaraſienſi: habet novendecim domos ſupra centum: diſtat verſus ſeptentrionem quatuor circiter horas a dextra Alutæ ripa: Berivoi tantundem diſtat verſus meridiem a ſiniſtra: nihilominus lues ab hoc in illum ſequenti modo transvecta eſt.

83. Qui primus in Berivoi peſtem habuit, fullo erat, ut dixi: congeſſerat autumno magnam vim laneorum pannorum, quales Valachi in uſus domeſticos conficiunt, jamque ſubactos, & ſiccatos in veſtibulum domus ſuæ contulerat, proprietariis, quorum nonnulli ultra Alutam in dicta ſede, & proximo circulo comitatus albenſis ſuperioris degebant, proxime revehendos: dum ex peſte decumberet, ad manum fuit lodix, qua domeſtici ægrum

te-

texerunt: hæc erat vaccarii roſundenſis: filius defuncti, & ex fratre nepos onerato pannis curru venerunt 5° Decembris in vicum, & vaccario lodicem; fratri vero ejusdem quatuor lanea ſaga reddiderunt: dein in alios vicos, eadem cauſa, iter perrexerunt.

84. Ante dicti vaccarii filia decennis, ſeptimo Decembris in morbum lapſa, deceſsit 10° cum bubone, & petechiis, ut poſtea compertum eſt: nam ex morbillis mortua tum referebatur.

85. Stetit malum usque 29um Decembris: pater pomeridianis horis, dum frumentum flagellis excuteret, horrore, & frigore ſubito correptus, viresque fractus rediit domum, & ſæpe vomuit: per ſequentes dies ingentem capitis dolorem, & præcordiorum anguſtiam queſtus obiit 1° Januarii: cadaver vibices, & petechias oſtendit, quas conſpicata defuncti glos confeſtim domum ſuam rediit, veſtes mutavit, ſeque, & proles incolumes ſervavit:

ca-

cadaver ab uxore, & adultis prolibus haud procul domo humatum eſt: manifeſto indicio, jam peſtis foviſſe ſuſpicionem. Eodem die vidua, & filiola octennis iisdem, queis pater, petebantur ſymptomatis: idem morbi decurſus: moriebantur, prior quidem tertio; poſterior quarto Januarii.

86. Quinto menſis die relatio ad ſupremum ſanitatis collegium pervenit: chirurgus viſerat defunctorum cadavera, nihilque ſuſpectum repererat: ex providentia tamen non domus tantum vaccarii; ſed etiam vicinæ intercluſæ fuerunt, interdictumque vicaneis, ne e ſuo territorio egrederentur: collegium reſpondit: „ renunciatos caſus, quod ſubiti eſſent, ſingularem attentionem expoſcere: requirendum, an non vaccarius, aut ſuorum quis in diſtrictu fogaraſienſi fuerit: interrogandos accurate ſuperſtites, num ille aliquid egerit, aut comederit, unde morbum, & mortem accerſerit: nonne magnum frigus, ingentem capitis dolo-

„ rem,

„ rem, gravem virium proſtrationem, temulentiam, & inſaniam expertus ſit: ſimiliter & de muliere, & de filiola: interim diſpoſitiones provide factas eſſe. “

87. Repoſuerunt Nagy-Sinkenſes: „ rem ſe propius exanimaviſſe: virum, & uxorem notata ſymptomata, dum viverent, expertos, & queſtos eſſe, ac demum patuiſſe, filiam decennem 10° Decembris defunctam parvum tumorem ſub inguine habuiſſe: de origine mali ſuspicionem trahi, per Valachum berivoienſem, qui ineunte Decembri apud vaccarium divertit, adlatum eſſe: ceterum in ea ipſa domo tres adhuc homines decumbere, quorum unus ſub inguine tumorem haberet. “

88. Adfui 17° Januarii: frater vaccarii, poſthabita ſua familia, ægros inviſerat, ibique deprehenſo ad ſuos reverti interdictum fuerat: is circiter 11° Januarii peſte tentatus, 13° foras vocatus ad rogata reſpondit: at 16° ſub veſperam itidem

egreſ-

egreſſus regredi non potuit, & poſtridie mane ante domum ſedens mortuus repe- riebatur; jacebant frater, & ſoror, ille viginti duorum; hæc octodecim annorum: ambo vix ſe ſe foras elaboraverunt: ille oſtendit bubo- nem ſub inguine ſiniſtro; iſta, longe debi- lior, parotidis tumorem præferebat: ne- mo erat, qui mortuum ſepeliret; nemo, qui ægris ex inopia, & morbo fatiſcenti- bus adſiſteret: quin imo quivis vel eminus cibum potumve ſuppeditare reformidabat: ingemui humanitatis extremæ calamitati: totus in eo fui, ut perſvaderem, poſſe abs- que ullo periculo nexis ad longurias po- culis neceſſaria, inter cetera juſculum vi- noſum, ſubminiſtrari, quod & factum eſt.

89. Scripſi eodem die ad præfectum arcis Fogaras, ut ex Butſum duos ex pe- ſte reſtitutos, data quantavis mercede, ac- ciret, eosque Roſundam mitteret, ægro- rum curam habituros, & mortuum huma- turos: at nullus conditionem accepit: po- ſtridie ſoror mortua eſt: frater vero pede-

ten-

tentim vires refecit, & 23° Januarii ſatis habuit, ut ſororis cadaver, juxta quod hucusque jacere debuit, foras protrudere, & hocce, patruique ante domum ſtantis ſuper traham, ad quam vicanei ante junxerant equum, advolvere, & in ſcrobem, itidem prius factam, dejicere, humumque ſuperſternere valuerit: deinde veſtes ſuas exuit, & in ignem projecit, propriam domum, duasque vicinas ſuccendit, & in novum tugurium ipſi ſoli deſtinatum ſeceſsit, ubi usque 17um Februarii manſit: inde ad caſtra prope Berivoi transductus eſt, ubi diſsipato bubone integre convaluit.

90. Intra hanc unam domum peſtis reſtitit, ſex homines interemit, & ſeptimum e faucibus dimiſit: familia patrui manſit integra, ut ſupra dixi: in cetero vico morbilli paſsim pueritiam infeſtabant: vicina loca, ea præſertim, ubi fullones fuerant, a perito chirurgo viſa, nihil a publica ſanitate alienum præbuerunt.

In

In Háromſzék

91. Ita vocant Tranſilvaniæ circulum, qui Valachiam, & Moldaviam, qua hæ ſe jungunt, contingit: tractus maxime habitatus quatuor, & quinque itineris horas diſtat a confiniis: interjectum ſpatium, valde montuoſum, nonnullos viculos habet aliquot tuguriorum: ſeſſores vix non omnes pecuariam faciunt, & clandeſtine in Valachiam, Moldaviamque eundo, ac redeundo, horſum, & illorſum ſua ſurta, non dicam merces, diſtrahendo magnum, atque continuum publicæ ſanitati periculum important: illa præſertim regio, quæ a fluvio Bodza nomen habet, talibus nebulonibus ſcatet, atque jam inde generalis ratio ſe ſe manifeſtat, per quos, & qua ratione peſtis in eum circulum induci potuerit, & inducta ſit. Initium hiſtoriæ faciam a xenodochio bodzenſi, & præmittam aliquot caſos, ut opinor, vere peſtiferos, at incuria ignorantiave, ne dicam fallacia, &

dolo

dolo autoptarum valde obſcuratos, & palliatos.

Xenodochium et Vallis Bodzenſis.

92. Sutor bukureſtienſis cum familia quinque animarum xenodochium intravit 30° Maji: hujus uxor incidit in febrem, quam malignam appellavere: ſupervenit quarto die narium hæmorrhagia: obiit 3° Junii: chirurgus retulit ſe in cadavere nihil inſolitum reperiſſe.

93. Maritus, ex largo potu in morbum lapſus, videbatur chirurgo ex pleuritide laborare: poſtridie delirabat vultu rubicundo, tumido, a ſe alienato: mortuus eſt 23° Junii, exeunte quarto morbi die: de cadavere id ipſum, ut de uxore, chirurgus renunciavit: paulo poſt ſuperſtites dimittebantur ex xenodochio: at medicus Brukmann, mox ubi caſus cognovit, eos retraxit: illi, novam probationem exoſi, Valachiam repetivere.

94. Sutrinæ alumnus, itidem Bukureſtienſis, xenodochium 10° Junii ingreſſus,

& ſutori notus, dum hic ægrotaret, in ejus ſeceſſum clandeſtine ingreſſus, & deprehenſus ſeverius obſervabatur, nihilominus mox ab humatione ſutoris in proximam ſilvam fugit, ubi quatriduo poſt, animam agens, repertus eſt: cadaver oſtendit ſuper muſculo pectorali majore lateris dextri ulcus palmam latum, lividum, in circumferentia collapſum, & a carne viva ſeparari coeptum: quidquid veſtimentorum ſupellectilisque habuit, igne deletum eſt: qui cum eo venerant, & manſerant, triduo poſt in Valachiam, adhuc ſani, redierunt.

95. Eodem die, Junii decimo, municeps græcus, familiam quinque animarum ducens, intravit xenodochium, & ſeorſim deguit: hujus uxor ex morbo ſextiduano mortua eſt: conjux narravit „ ægram tres „ primos dies alternantibus frigore, & „ calore, atque ardoris dolorisque ſenſu, „ per intervalla verſus imam abdominis re„ gionem recurrente, vexatam fuiſſe: iſti

„ lo-

„ loco ardenti, rubenti, tumenti veſicu-
„ lam albam, hordei granum æquantem,
„ ſupercreviſſe, quam ægra unguibus di-
„ laceraſſet, & ex qua pluſculum ſangui-
„ nis efluxiſſet: ſuperpoſitum ex cera,
„ ſebo, & pipere emplaſtrum dolorem, &
„ morbum exacerbaſſe, atque tandem
„ ægram letho dediſſe: ipſam antea in
„ binis cruribus, & brachio ſiniſtro habuiſſe
„ excreſcentias, baccam rubi idæi magni-
„ tudine, & ſimilitudine referentes, quæ
„ ingruente morbo disparuiſſent." his adjecit, & appoſite quidem, hiſtoriam peſtis, a qua morbum hunc longe discrepare contendebat: chirurgus cadaver luſtrans invenit ſub umbilico, prope lineam albam, ulcus nigrum, & tumidum, quod ipſe pro ſcirrho in cancrum degenerato habuit.

96. Medicus Brukmann intellectis his caſibus prope fuit, ut peſtem declararet: tres primi caſus mortis velocitate, & ejusdem cauſæ ſucceſsione contagionem prodere videbantur: quartus itidem ſuſpectus

 erat,

erat, eo quidem magis, quod græcus de peſte apprime ediſsereret, ideoque tanto ſpecioſius palliare, & diſsimulare noſſet: deinde chirurgus in ſuſpicionem veniebat aut male, aut nequaquam ægros obſervaſſe, & cadavera viſiſſe: medicus, hæc ſecum reputans, prudens temperamentum elegit: egit, ceu peſtis eſſet: reſiduam mortuorum ſupellectilem combuſsit: congreſſos vero ſuam mox lavare, eosque ſeorſim ab aliis eſſe juſsit, &, ut præproperæ temeritatis notam efugeret, renunciavit morbi curſum, aliena duntaxat, eaque ſuspecta fide cognitum, peſti ſimillimum eſſe: quidquid ſit: xenodochium perſtitit ſalvum, & ex 432 animabus nulli quidquam funeſti evenit, ac ſerius demum, ut mox exponam, contagio illuc illata eſt.

97. Operarius ſerratrinæ, quartam circiter horæ partem ultra xenodochium poſitæ, jam dudum clandeſtini cum transmontanis commercii infamis, mortuus eſt 13° Junii ex morbo triduano: domeſtici

ci ajebant arborem, quam ad axem molæ cæderet, ei ſuper pectus devolutam, mortis ſubitæ cauſam fuiſſe: creduli nimis, & incurii xenodochio præpoſiti narrantibus fidem adhibere; quam rem penitius requirere maluerunt.

98. Tertio poſt die frater defuncti proles primi thori abduxit a noverca, & ſupellectilium, quæ ipſis evenerat, partem ſecum reportavit: habitabat haud procul vico, Nien nomine, in valle, quæ ſuam duntaxat, & vicini caſam habebat.

99. Illius uxor moriebatur 5° Julii, humabatur in horto, parocho nienenſi græci ritus funebria eminus faciente: chirurgus tardius venit; quam ut cadaver luſtraret: viduus dixit eam duas abhinc ſeptimanas ægrotaſſe, quadantenus convaluiſſe, ac nuperrime ex relapſu derepente deceſsiſſe: nihilominus collegium ſanitatis coronenſe, quum parochus non temere cautela uſus videretur, comarcho nienenſi diſtricte impoſuit, ut binas familias intercluderet, &,

ſi alter caſus ſequeretur, confeſtim indicaret.

100. 22° Julii propria filia novennis, & relicta ex fratre neptis decennis peſte tentabantur: utrique poſtridie bubones ſub inguinibus emerſerunt: moriebatur illa quidem 25° ; hæc 26° Julii.

101. Superſtites, vicinaque familia, humatis cadaveribus, & comparata annona, in vicinam ſilvam ſe recipiunt, ibique tuguria extruunt: 28° ejusdem menſis ſocrus defuncti fratris, frigore caloreque invicem alternantibus laceſsita, & vexata, duos dies peſsime habuit: ortus ſub inguine dextro bubo levavit: crevit in magnitudinem ovi gallinacei: poſt alteram ſeptimanam evanuit, & ſanam reliquit.

102. 31° Julii contagio etiam mitius vetulam domeſticam inceſsit, & bubone duntaxat ſignatam dimiſit: pariter infans quadriennis, 2° Auguſti ægrotare orſus ex bubonis germine, brevi reconvaluit.

103. 9° Augusti pater violenter tentatus, & intolerabili ardore vexatus, bubones sub axilla dextra, & utroque inguine perperam nactus, obiit quarto post die: infans biennis mansit intactus.

104. Novissimis hisce diebus contagio alteram familiam invaserat: mater, & uxor heri, & ipsemet intra octiduum, singuli ex morbo triduano, perierunt: superstitum quatuor prolium, intra 12um, & 17um Augustum peste impetitarum, duæ tantum emerserunt.

105. Ita duarum familiarum, quindecim animas habentium, quatuordecim infectæ sunt; novem mortuæ; quinque restitutæ; unica mansit intacta.

106. Superstites, quanquam tres adhuc valetudinarii essent, quod cibaria deficerent, desertas ante casas repetierunt: vetula, oppidulum vicinum frumenti emendi gratia ingressa, de morte suorum narravit: re Coronam perlata, medicus Brukmann eo se contulit, &, ut mox exposui,

 com-

comperit: appoſitis excubitoribus circumcluſi manſerunt ibi, usque dum xenodochium bodzenſe ſpatium daret: tandem, caſis ſuccenſis, mundas veſtes induti, expleta quarantana dimiſsi ſunt.

107. Inter hos fuit filius operarii ſerratrinæ quatuordecim annorum: medicus Brukmann blandiendo, & munerando ab eo elicuerat, tres arcas ſupellectile plenas in ſilva, haud procul domibus combuſtis, eſſe defoſſas: ibat, dato in comitem xenodochii miniſtro, ad locum 10° Novembris: invenerunt arcas jam refoſſas: duas quidem prorſus vacuas; unam pauca tribona habentem: hæc combuſſerunt: index poſtridie cum ſuis in Valachiam profugit: nequam, procul dubio, non ſolum medico furtum; ſed etiam complicibus factam furti, & loci profeſsionem aperuerat: in perquirendo omnis ſolicitudo, & labor fruſtra fuerant.

108. Haud procul valle nienenſi eſt viculus ſex caſarum, Egres-Patak nomine: ibi ſedebat ante dictarum familia-

rum

rum uni affinis, & ipſe clandeſtini cum transmontanis commercii infamis: incertum proinde eſt, an familias infectas inviſendo, an res peſtiferas furando, mercandove ſuæ familiæ peſtem conciverit: hujus uxor paulo poſt; quam lues in dicta valle inceperat, 18°; neptis 29°; ſocrus ſeptuagenaria 31° Julii; ipſe pater familias 4° Auguſti mortui ſunt: chirurgus ſingula cadavera viſerat, nullumque indicium peſtis comperiſſe, omnes poſt ſeptimum diem obiiſſe retulerat.

109. Erant in vicinia caſtra ludicra, ut infra referam: prætor chirurgo parum confiſus, & ex breviſsimo intra ultimos caſus intervallo peſtem ſuſpicatus, omnes caſas, præſertim vero ſuspectam, appoſitis excubitoribus in omnem eventum circumcluſit: re accuratius cognita, ſuperſtes tredecennis filius in xenodochium bodzenſe 8° Auguſti transvectus eſt, ubi probationem incolumis explevit: eodem die caſæ ignis ſubjiciebatur.

110.

110. Interea defuncti levir cum uxore ſua in Száldobol, viculum propinquum novem caſarum, ad patrem ſuum rediverat, ubi violentia morbi in furorem actus aufugit in ſilvam, & inter diſcurrendum mortuus conciderat: pater, humato cadavere, peſsime habuit, & 14° Auguſti mortem oppetiit ex morbo triduano; uxor nudius tertius ægra, ingentem capitis dolorem, magnum ardorem, crebrum vomitum paſſa, accepit tumorem parotidis ſiniſtræ, cui carbunculus inſederat: mortua eſt 19°: eam filia præceſſerat ex morbo triduano: cadaver petechias, & vibices exhibuit.

111. Plerique ſeſſores ceterarum caſarum, peſte territi, aufugerant per montes, & valles: inter hos nonnulli ægrotantes inviſerant: conquiſiti per milites, quemadmodum & qui domi erant, in xenodochium bodzenſe transducti ſunt, 49 animæ: ibi enim, quum ſupellectilia indumentaque eorum purganda eſſent, mi-

nus

nus erat periculi, tum ipſis; tum etiam in publicam rem, ſi malum non coerceretur: caſæ duæ in Száldobol combuſtæ ſunt.

112. In caſtra quoque peſtis irrepſit: miles vernaculus octodecennis 11° Auguſti inter exercendum inopinate animo concidit: ad ſe reverſus in tentorium ivit, querebatur magnum calorem, capitis dolorem, anxietatem, ingentem virium labefactationem, nauſeam: chirurgus, febrem ardentem eſſe ratus, venam aperuit: vix ſeptem unciæ ſanguinis efluxerant: abſtitit, quia animi deliquium jam infeſtabat.

113. Poſtridie in valetudinarium caſtrenſe, ubi undecim ægri vulgarium morborum degebant, virium fere impos transvectus eſt: urgebat acer dolor verſus interſtitium ſcapulæ ſiniſtræ, & vertebrarum: apponebatur emplaſtrum emolliens, quo tertio poſt die ablato, venit in conſpectum tumor in circumferentia ruber, in medio niger, verus carbunculus: prodierat quoque ſub axilla dextra bubonis germen

men: jamque tum recuperandæ ſanitatis ſpes erat, & 7° morbi die ſiderata caro a viva ſeparari occoepit: bubo in magnitudinem ovi anſerini crevit, neque tamen in ſuppurationem ivit; ſed retrogreſſus 23° Septembris ſanum reliquit.

114. Alter miles 10° Auguſti in valetudinarium adlatus eſt, qui multis, variis, anomalisque ſymptomatis vexatus 24° Auguſti deceſsit: in cadavere numeroſæ, & variæ magnitudinis petechiæ apparuerunt, & veriſimillimam peſtis ſuſpicionem reliquerunt.

115. Statim atque comperta fuit peſtis; miles infectus ex valetudinario in caſam vacuam, adjunctis chirurgo, & miniſtro, translatus eſt: hujus contubernales ſolitarii, & ab his cetera centuria; ab hac reliquæ centuriæ in ſeparatos coetus coire debuerunt hac ſpe, ut ſicubi contagio inceſſeret, eo pauciores periculum, & ſuſpicio attingeret: qui a periculo quam longiſsime abfuiſſe cognoſcebantur,

ca-

castrorum externa tenebant: alia militia circumjectas vias obsidebat: etiam in castris omnia ex præscripto sanitatis exigebantur: nihil vero scrupulosius, & accuratius tractatum est supellectilium in castris reperiundorum purgatione, quam milites pro exercitio perfecerunt.

116. Interea pestifer convaluerat, & in xenodochium bodzense una cum chirurgo ministroque, mundas vestes induti, abierant: depositas idem ignis, qui casam infectam, & valetudinarium, consumsit: tandem, expleta feliciter probatione, castra 6o Octobris soluta sunt, & militia domum dimissa, longe plus passa formidinis, laboris, & tædii; quam damni. Unde miles malum ceperit, referam, ubi de vico Körös agam: nunc prosequar cursum pestis in valle bodzensi.

117. Vidua, cujus vir laqueo perierat, flagitiis, & mendicatione victum quærens, filiamque septennem secum trahens, manserat aliquot dies in viculo Száldobol,

bol, dum peſtis ibi conflagrabat, & ex hinc militibus fugitivos conquirentibus ſubterlapſa, venit 24° Auguſti in viculum aliquot caſarum, nomine Nagy-Patak, & apud fratrem ſuum divertit: 24° ivit in vicum Kis-Boroſnyo inde itineris horam disſitum, ubi poſtquam baccho, & veneri litaſſet, Nagy-Patak ſub veſperam repetens peſsime habere coepit, & in dumeto prope viculum vitam finivit: 28° alius viculi ſeſſor forte fortuna invenit cadaver, & filiolam prope ſedentem flentemque: hic, ſuusque, defunctæque frater, hujus uxor, & mulier vicina, ne contaminarentur, longuriis mortuam in ſcrobem truſerunt, & humarunt.

118. Sic narrarunt: at hiſtoria parum cohæret: neque enim veriſimile, filiolam totum ſesquinycthemerum apud cadaver perſeveraſſe: potius credendum, matri ſemi exanimatæ opem quæſiviſſe, & in Nagy-Patak, a quo duntaxat mille circiter paſſus aberat, accurriſſe, avunculoque omnia

enun-

enunciaſſe: unde quoque ſuſpicor propinquos aliquid veſtimentorum retinuiſſe: nihil tamen ab iſtis hominibus, nec a filiola comperiri potuit.

119. 29° Auguſti alius ſeſſoris privigna ſeptennis mortua, & clanculum humata eſt: caſus tamen vulgabatur: dixerant non parentes tantum, ſed etiam vicini, ex diuturna tabe defeciſſe; ſe vero timuiſſe, ne morbus pro peſte haberetur, ideoque ſibi incommodum faceſſeretur: id ipſum metuebant mulieris flagitioſæ propinqui: ideo hujus fatum ſponte indicaverunt: aderant 1° Septembris inquiſitores: refoſſum cadaver nihil oſtendit præter cruorem ex ore, & naribus profluum: hinc planum fieri videbatur, mulierem non ex peſte; ſed ex noxis vitæ flagitioſæ deceſsiſſe: quia tamen hiſtoria male, ut dixi, cohærens, & clandeſtina hujus, & parvulæ, de qua ajebam, humatio ſuſpectum quid ſubeſſe arguerent; quatuor familiæ, quæ facto interceſſerant, in xenodochium bodzenſe una

cum

cum ſua ſupellectile transvectæ ſunt 4° Septembris: erant 22 animæ: ceterarum caſarum ſeſſores, utpote in quos nulla ſuſpicio cadebat, ſuæ ſponti dimittebantur.

120. Novi advenæ, pro more xenodochiorum noſtrorum, lixivio primum, deinde & aqua ſimplici veſtimenta omnia, ceteramque, quam attulerant, ſupellectilem lavare, corporaque remixtis aceto, & aqua abſtergere debuerunt: hæc cautela & Száldobolenſibus ceterisque inquinamenti peſtiferi ſuſpectis non tantum; ſed etiam ubique, ſub hac contagione, optimo ſane cum eventu obſervata eſt: & erant in xenodochio 85 animæ ita ſub ingreſſu habitæ, quæ ſanæ permanſerunt.

121. Inter Nagy-Patakenſes vero, qui ab aliis ſeorſim erant, peſtis erupit: nam eo intervallo, quo ſupellectilium purgatio in opere erat, puella novennis ex mitiſsimo inſultu parotidis ſiniſtræ tumorem nacta eſt, quem mater pro vulgari ægritudine, quam puella jam ante ſæpius experta

perta esset, chirurgo obtrusit, qui ceteroquin nec satis diligens, nec satis perspicax erat.

122. 9° Septembris infans quadriennis ægrotare cœpit, & 12° decessit: chirurgus ex ore parentum retulit morbum, a calida nimis pulte exorsum, propinato vini cremati cum pipere, & allio haustu exacerbatum fuisse; parvulam, ante valetudinariam, ex inflammatione ventriculi periisse; cadaver nullum pestis indicium exhibuisse.

123. 11 ejusdem mulier quinquagenaria, valido frigore, & calore, magnoque capitis dolore biduum tentata, in convulsionem incidit, quæ triginta horas duravit, in spasmum uteri (sic chirurgus exposuit) desiit, & ægram 14 sustulit: nuperrime, dum in nosocomium traheretur, similem affectum passam esse; neque in viva, neque in mortua ullam maculam apparuisse idem referebat.

124. Hujus filius quinquevicennis eodem die ex morbo triduano vitam finivit: pater narrabat juvenem antea, poſtquam ſub dio dormiviſſet, aurium dolorem cepiſſe, & totum annum decubuiſſe, indeque difficultatem auditus retuliſſe; poſtea gravem currum ſuſtollendo noxam intra calvariam ſibi conciviſſe; ab inde moeſtum, & cogitabundum inceſsiſſe: concluſit chirurgus apoplexia tactum obiiſſe: cadaver nihil præternaturale manifeſtaſſe addebat.

125. 16° infans quadriennis, cum pridie eſcam ex farina ſiliginea, & caſeo large comediſſet, præ capitis dolore, & debilitate lectum tenuit: ſucceſsit diarrhœa, quæ 5° die mortem attulit: chirurgus a perverſa diæta cauſam morbi repetiit.

126. Eodem die hujus ſoror ſexennis, bene pranſa ſub veſperam, poſt exiguum horrorem incidit in calorem ardentem, & ingentem capitis dolorem, continuasque anxietates: 18° melius habuit: 19° obiit: rurſus nihil peſtiferi compertum eſt.

127. 20° Septembris mulier, ſeptimeſtrem uterum gerens, queſta eſt dirum pertinacemque lumborum, & infimi abdominis dolorem: 22° abortiit: 23° obiit: maritus ajebat paulo prius; quam ægrotaſſet, acerrimo raphani hortenſis deſiderio cruciatam fuiſſe, atque quum præſto non eſſet, inde in morbum lapſam eſſe: chirurgus mortem ad gangrænam uteri retulit, & nullum in cadavere peſtis indicium obſervavit.

128. Enumeravi ſex ægros intra duodecim dies in xenodochii ſepto mortuos, quorum nullus quintum diem exceſsit: Nagy-Patakenſes toti in eo erant, ut peſtem occultarent: obſecundabat chirurgi facilis credulitas, ſupina negligentia, &, credo, peſtis contrahendæ formido: ideo, etiamſi iſto officio obſtrictus eſſet, obiter tantum ægros mortuosque viſit: & certe poſtea patuit, ſenem ſeptuagenarium, interea dum ceteri ægrotarent, & morerentur,

cum carbunculo decubuiſſe, ex quo etiam convaluit.

129. Medicus Brukmann, orta in Körös, Rosnavia, novo, & vetere Tohan peſte, aliis curis diſtinebatur, ac demum 23° hujus menſis ad xenodochium venire potuit: legerat relationes chirurgi, morbi, & mortis cauſas adferentis, quarum pleræque, ſi diſperſos, & ſingillatim habitantes contigiſſent, valere potuiſſent; inpræſentiarum vero peſtis ſuſpectiſsimæ medico habebantur: interrogavit mortuorum propinguos accurate, & ſingillatim: illi nihil de bubonibus, & carbunculis; ſatis tamen ad cognoſcendam determinandamque peſtem aperuerunt: & vero mortis celeritas, potiſsimorum ſymptomatum ſimilitudo, ſubita mali in homines diverſæ ætatis, & ſexus progreſsio prodebant morbum cito perimentem, inficientem, id eſt: ipſam peſtem: congruas itaque fecit diſpoſitiones, ut, qui in cæteris xenodochii ſeptis erant ſani, arctius quam ante contine-

rentur, & in tuto collocarentur; in infecto vero, quantum loci angustia permitteret, dispalarentur; ægri seorsim ab aliis in proprio habitaculo ponerentur: adjunxit chirurgo alium peritiorem: jamque quarto post die quatuor ægri, externis pestis indiciis signati, reperiebantur.

130. Dixi 22 Nagy-Patakenses 4° Septembris in xenodochium tractos fuisse: verum sub iis ipsis diebus adducti sunt alii pariter suspecti, qui ob penuriam spatii seorsim collocari non potuerunt, proinde Nagy-Patakensibus admisceri debuerunt: etiam hos pestis invasit, & ex 38 animabus novem tantum incolumes manserunt, 27 pestem conceperunt, octodecim perierunt, & novem reconvaluerunt: ceteri, in aliis septis conclusi, perstiterunt salvi, & probata sanitate domum dimissi sunt: erant nonaginta tres.

131. Male cessit septo infecto, quod, ut dixi, dispalandis hominibus in eo degentibus nimis angustum esset, & quod

ab extus una cum Nagy-Patakenſibus alii eodem tracti fuerint, & trahi debuerint.

132. Cis xenodochium, vix plus octava horæ parte, præter vigilarium, & telonium ſunt aliquot valachorum caſæ, in quarum una duæ puellæ, viro maturæ, adultior quidem 25°; junior 29° Septembris, mortuæ ſunt; et quia externa peſtis indicia aut reapſe aberant, aut ſaltem non reperiebantur, creditum eſt ex morbo vulgari deceſsiſſe: in tertia vero ſorore, quarto Octobris mortua, petechiæ in conſpectum venere: tota familia, quæ ſuperſtites undecim animas habebat, in xenodochium adducta, & caſa mox combuſta eſt: ex iſtis ſuperſtitibus quatuor permanſerunt intacti, totidem convaluerunt, & tres perierunt: in iſta caſa frequens fuit circuitor telonii, & inde peſtem concepit: bubonem carbunculumque habuit: deceſsit primo Octobris: ſuperſtes ejus familia, ſex animarum, contagioni erepta eſt.

153.

133. Qua ſingulari occaſione iſta familia ſibi peſtem conciverit, an ex xenodochio, an aliunde, reſciri non potuit.

134. Exeunte Octobri malum in xenodochio ceſſaverat, &, qui remanſerant, prorſus reconvaluerant: exacta probatione & hi, & intacti octavo Decembris dimittebantur: verum 23° peſtis recruduit ex ſequenti occaſione.

135. Iſta familia valacha, de qua mox ajebam, ſuccenſionem caſæ, & ſupellectilis jacturam præmetuens, duas arcas ſupellectile plenas humo recondiderat: ſuperſtites, qui nuperrime ex xenodochio exierant, refoderunt.

136. Hinc puella, cui contagio pepercerat, 23°; altera, quæ mitius habuerat, 26° peſtem concepere, & ambæ quarto morbi die mortuæ ſunt: bini fratres, qui itidem morbum ſuperaverant, ſecundo ſuperarunt: at juvenis, in vicinia cum ſorore ſerviens, apud puellas frequens, cum his pariter in xenodochium tractus eſt: ſoror

13° Januarii; ille 9° Februarii vitam, & pestem in xenodochio finierunt: ex famulitio xenodochii contagio octo animas invasit, tres necuit, quinque vita donavit: itaque summa omnium infectorum est 53; mortuorum 33; restitutorum 20.

Körös.

137. Est vicus submontanus militiæ vernaculæ quatuor & septuaginta casarum, quas 396 animæ ante pestem habitabant: occasio, quæ pestem eo intulit, hæc erat.

138. Inter excubitores casæ in Egres-Patak infectæ fuit miles, qui paulo post in castris ludicris pestem concepit: vicem obiens conspexit in horto locum stramine tectum, ubi scrutatus reperit dolium humo defossum, in quo præter aliquid pecuniæ res varii generis congestæ fuerant: rem aperuit uni commilitonum, qui principio quidem manifestationem svadebat; at spe potiundæ partis a consilio facile destitit: supervenit tertius, quem avaritia itidem haud ægre vicit.

139. Primus, ipſe repertor, tria telæ novæ volumina, quatuor pelles agninas, pelliceam penulam, tres florenos; alter tria quoque telæ volumina, galerum pelliceum, tres florenos acceperunt: prior retinuit penulam, quæ poſtea combuſta eſt: cetera per patrem ſuum, qui ſors in caſtra venerat, uxori ſuæ transmiſit in Kováſzna: ſocius, eadem occaſione uſus, etiam uxori ſortem ſuam transdedit in Pake, vicum haud procul Körös ſitum: omnia hæc 20° Septembris, furto palam facto, apud poſſeſſores reperta ſunt, & combuſta, neutrique vico quidquam attulerunt, ſive ſors olim peſtiferis in uſum non venerint, & miasma non conceperint; ſive poſſeſſores non ante tractaverint: quidquid ſit, re comperta binæ familiæ in Körös præmetuenter transductæ ſunt.

140. Tertius, vice functus, ſuam partem caniſtro conditam ipſemet in Körös portavit: galerum pelliceum, cingulum laneum, quatuor capitis velamina, tres

co-

coralliorum funiculos, & unum, ex quo pendebant viginti circiter Paralæ, turcicæ monetæ genus ſesquicruciferum fere æquans, in Tranſilvania prohibitum, proinde ex Valachia illatum: repoſuit in arca, & exacto uxoris puerperio corallia glori, quæ illi adſtiterat, donavit, & collo circumdedit: eadem glos velamina adjuvante alius domus ancilla lavit: horrore, & frigore 28° Auguſti correpta in domum fratris ſui, familiam habentis, ſe recepit: chirurgus venam aperuit: vetula affinis ægram unxit: mortua eſt 31°.

141. Centurio, qui in Barátos horam ab inde diſsito degebat, de ſubita morte certior factus non domum tantum, verum etiam vicum in omnem eventum intercluſerat: verum renunciante chirurgo, morbum febrem ardentem fuiſſe, & cadaver nihil contagioſi præferre, deduxit excubitores: funus ſolito ritu elatum, & humatum eſt.

142. Vetula unctrix habitabat una cum filia vidua, hujusque filiolo apud fi-

lium

lium ſuum, familiam novem animarum habentem: manens intacta peſtem tranſtulit nepotibus ; et jam 10° Septembris unus quinquedecennis, alter decennis morbo correpti ſunt: perierunt, ille 13°; iſte 14° Septembris: mater pridie in morbum lapſa deceſsit 15° Septembris.

143. Interea dum hi jacerent; filii vicini ægros inviſerunt, & inter illos unus 14° peſtem concepit, & intra triduum mortuus eſt: 15° ſoror unctricis, propriam familiam habens, filiolam biennem amiſit: pridie pater puellæ, primum infectæ, ægrotaverat: tertio poſt die ad pluresivit: ipſiſsimo tempore uxor militis köröſienſis, qui furti particeps fuit, ægra decumbebat: bubonem gerens, & ſolicite occultans poſtea reconvaluit.

144. Eadem ancilla, quæ puellam primum infectam lavando juverat, peſte 14° tentata, ad parentes in Papotz, vicum proximum, confugit: at 16°, quum contagio centurioni, ut mox dicam, pate-

tesceret, in Körös cum tota familia retrahebatur, & ignis casæ subjiciebatur: ea ratione vicus præsenti periculo eripiebatur.

145. Et hæc exempla satis, credo, sunt, ut demonstrem, queis occasionibus contagio ab una domo primum infecta in cognationes, & affinitates vicinitatesque intra exiguum tempus serpserit, & continua serie in dies invaluerit: qui animum reflexerit ad congressus hominum, partitiones indumentorum supellectiliumque, ex occasione ægrorum mortuorumque quotidie evenientes, imo & ad furta, in hisce circumstantiis præsertim a lotricibus cadaverum, & a vespillonibus non infrequentia, facile adsequetur, quam cito lateque miasma pestiferum ab unica velut stirpe difundi queat, & reapse difundatur. Nunc redeo ad historiam.

146. Chirurgus, qui postea insignem pestiferis operam præstitit, ratiunculis, & narratiunculis præsertim muliercularum

de-

delusus, varias retulit centurioni morbi, & mortis vulgares causas: sic unctricis nepotum unus nuper ex arbore ceciderat: alter territus ægritudinem conceperat: mater ex solicitudine moeroreque ægrotaverat, & decesserat: pater puellæ primum infectæ tecta pulmonum vomica subito perierat: at vero ipsi propingui postea confessi sunt, omnes veram pestem habuisse: & inter ceteros iste pater familias bubone signatus obiit.

147. Vigilantissimus centurio, chirurgi renunciatione nequaquam contentus, in Körös se contulit, & chirurgum, forte occurrentem, eo reduxit, & induxit, ut ægros coram viseret: & primo se obtulit infans septennis, qui sub axilla dextra bubonem gerebat, ad cujus tactum ejulabat: adulti artem fallendi, & dissimulandi melius norunt.

148. Sublato omni dubio centurio, advocatis ex vicinia militibus, octo stationibus vicum 16° Septembris circumsedit: ex

sex

ſex domibus, quas infectas norat, tres vacuefecit: in unam ægros, qui tres tantum erant, conjecit, hisque herum, & heram curatores dedit; chirurgum expoſuit; duas domos contaminatis deſtinavit; parochum, qui ægris inſcius interfuerat, in ſua domo occluſit; verbo: nihil reliquum fecit, ut malum circumſcriberet, ejusque progreſſum cohiberet: optimo ſane; at irrito fere conſilio: nam peſtifer fomes multiplicatis, ut mox innuebam, occaſionibus quaquaverſum ſerpſerat, hominesque resque pene in immenſum contaminarat: acceſsit plebis adverſus ſalutares diſpoſitiones renitentia, eo quidem contumacior, quod cum religione, quam profitentur, jam inde ab infantia ſuxerint dogma „ cuique hominum a di„ vina providentia ſingulas actiones, & „ mortis genus, horamque inevitabiliter „ eſſe prædeſtinata, neminemque, quid„ quid fecerit, aut caverit, fatalem termi„ num prorogare poſſe: " ergo abſtinen-

tiam

tiam a congreſſu ægrorum, & ab uſu ſupellectilium pollutorum, ceteraſque ſalutares diſpoſitiones & negligebant, & contemnebant, promtoque, & prono velut capite in morbi, & mortis diſcrimen ruebant: nec defuerunt, qui parochum conviciis peterent, quod aliter doceat; aliter faciat: ita lues ſubita celeritate gliſcebat, & quotidie magis magiſque invaleſcebat, jamque dimidio Octobri tres, & viginti domos funeſtarat; octo & viginti animas ſuſtulerat; in noſocomio triginta unam tenebat.

149. Ex iſta clade, cui quinquaginta & una domus tunc erant intactæ, parochus, adhortante centurione, occaſionem cepit plebem a ſuperſtitione ad ſaniora reducendi: neque omnino fruſtra fuit, & invenio ſcriptis mandatum exemplum filii, qui, quum comperiſſet patrem ſuum infectam domum intraviſſe, a ſe repulit, & coegit in horto hoſpitari, ubi poſtridie in morbum incidit, ab hinc in noſocomium translatus eſt, & cum bubone ſanitatem

rece-

recepit: cetera familia mansit intacta: aliæ duodecim familiæ, abstinendo ab occasionibus contagionis se præstiterunt immunes, & præter has 88 animæ, intra claustra adductæ, contagioni ereptæ sunt.

150. Contagio usque ineuntem Novembrem increvit, & ab inde toto fere mense longe pauciores ægros dabat: at sub finem recruduit, & nova sævitie vix non totum Decembrem disamavit: procul dubio vicanei, quos prior strages terruerat, sequente remissione securiores audacioresque facti, abditam supellectilem protraxerunt, &, quos pestis reliquerat intactos, infecerunt: Januarius benignior fuit; novos tamen & inexpectatos casus dedit: nam inter vespillones, & nosocomii ministros unus, & alter contaminata supellectilia subripuerunt, & ad suos clanculum tulerunt: atque hi primum; deinde & alii infecti sunt: Februario, præsertim ineunte, rariora erant funera, & 24. dies ultimum dedit, quocum pestis desiit, post-

quam

quam domos, comprehenſa papolzenſi, 62 funeſtarat, animas 242 tenuerat, 120 peremerat, & ſauciatas 122 reliquerat: chirurgus ille ipſe, qui initio peſtem eſſe non crediderat, mediciBrukmann documenta preſſe ſequendo egregiam, ut numerus reſtitutorum oſtendit, præſtitit operam.

Kováſzna.

151. Eſt pagus 330 domorum, quas ante peſtem 1675 animæ habitabant, maximam partem militiæ vernaculæ; ceteri ſunt nobiles, aut his ſubditi: diſtat a Körös dimidiam tantum itineris horam: evaſerat menſe Auguſto, ut dixi, peſtis periculum, quam ex Körös ſequenti occaſione contraxit.

152. Duo köröſenſes patresfamilias, jam inde a menſe Julio domo abſentes, demum Octobri rediverunt; at peſtem veriti in Kováſzna conſtiterunt, ibique interim mercenaria opera vitam ſuſtinuerunt: malo circa dimidium Novembrem

remittente, nocte concubia, clam excubitoribus in Körös ſubrepſerunt, & pariter in Kováſzna reverſi ſunt: forſan id ipſum frequentius tentarunt: unus habebat in Kováſzna uxoris ſuæ ſororem, cujus filius juvenis 24 annorum, 29° Novembris morbo tentatus, 2° Decembris melius habere viſus eſt; at 6° obiit petechiis cadaver deturpantibus: ob id ipſum mater, hujusque reliquæ proles tres in Körös transducebantur, intercluſa mox domo, & ſuscepta ibidem ſupellectilium purificatione.

153. Pater vero, juvene decumbente, primo Decembris ad excubias confiniorum abiverat cum commilitone juvenis amico, quem is, ut primis morbi diebus; ſic etiam ſub abitu inviſerat: hic, in ſtatione 4° Decembris æger factus, obiit octavo: cadaver chirurgo viſenti petechias latas, nigerrimas, multas exhibuit: hinc ceteri excubitores, quamprimum caſus renunciatus eſt, aliis ſubſtitutis deducti,

&

& in xenodochium transmiſsi ſunt, ubi ſani permanſerunt.

154. Pater vero ſupra dicti juvenis, intellecto filii periculoſo ſtatu, conſtituto vicario appulit domum mortuo jam filio, ceteraque familia in Körös translata: ergo ad fratrem ſuum, qui converſationis cum ejus filio habitæ ſuſpectus habebatur, divertere coactus eſt interea; dum domus ſua purgaretur, eique duntaxat indultum eſt, ut ſub conſpectu appoſitorum excubitorum pecora interdiu curaret.

155. Exacta purificatione in domum ſuam permiſſus eſt: octavo Januarii ſolitis peſtis ſymptomatibus incidit in morbum, ingenti capitis dolore, calore, ſiti, magna virium proſtratione, bubone ſub axilla ſiniſtra, carbunculo in nucha ſtipatum: transductus eſt in Körös altero poſt die, ubi 12° Decembris obiit.

156. Occaſio mali demum hæc reperta eſt: mortui ſoror, proprium in Kováſzna domicilium habens, ſub morte juvenis

absconderat in horreo, & ſtabulo intra foenum, & ſtramen ſupellectilia, & indumenta, quorum quædam avunculus ex Körös retulerat, alia juvenis ſuo morbo infecerat, ac tandem pater, monente muliere, receperat, & ſibi peſtem conciverat.

157. Interea circiter octavum Decembris contagio domum nobilis cujusdam invaſerat: inquilini enim infans 11° cum petechiis mortuus eſt: pater, materque, & tertia proles bubonibus ſignati, duæque adhuc ſanæ transducebantur in Körös: qua occaſione contagionem conceperint, nec tunc, nec poſtea comperiri potuit: ſuſpicor tamen, & temporis circumſtantiæ innuunt, a domo mox dicta, quæ vicina erat, virus veniſſe.

158. Clarior eſt duarum ceterarum familiarum hiſtoria: nam mulier köröſenſis, cujus domum peſtis demeſsuerat, kováſznenſi puellæ induſia clanculum ſubdiderat: idem chirurgus ipſam, binasque ſorores

ex

ex peſte decumbentes reperit, & in Körös totam familiam transmiſit: ex hac domo hoſpes duorum Köröſenſium, de quibus ſupra, ſupellectilem infectam accepit, inde peſtem 30° Decembris concepit, & in Körös translatus ad plures migravit.

159. Miles, qui periculum caſtris intulit, itidem kováſznenſis erat: hujus pater, ſub ipſis peſtis initiis, in Körös transductus, ibidem quoque ſeptuagenarius peſtem ſuperavit: itaque contagio repetitis adſultibus hunc pagum impetivit: Körös eidem ob vicinitatem exitioſum, & etiam ſalutare fuit: eo enim ceu ad primum principium ſuos peſtiferos reduxit: huic diſpoſitioni acceſsit ſagax, felixque ſupellectilis inquinatæ conquiſitio, purgatioque, & ſolicita, exactaque incolarum ab invicem ſeparatio: hinc contagio ſex duntaxat familias tentavit, 23 animas inceſsit, quindecim interfecit, & octo in vivis reliquit.

160. Nonnulli e nobilibus, is præſertim, de quo ſupra, quum præcautiones moleſte

leſte ferrent, conſilia refractaria inibant, quibus tempeſtive detectis, juſſu ſuperi ſanitatis conſilii in xenodochium bodzenſe ttansducti ſunt, & ibidem ſani probationem expleverunt.

Bodola.

161. Eſt pagus ſede háromſzékenſi concluſus; pertinet tamen ad comitatum albenſem ſuperiorem: habet 171 domos, quas hungari, nonnulli nobiles; multi plebei, & valachi ſubditi inſident: ſumma omnium ante peſtem erat 890 animarum.

162. Menſe Auguſto, ſtatim atque contagio in valle bodzenſi cognita fuit, quum ignoraretur, quantum ſpatium, & quot loca fors occupaſſet; militia germanica, per ſtationes juxta fluvios Fekete, & Tatrang diſtributa, 31 pagos, vicosque circumcluſerat, & a citimis locis abſciderat hoc fine, ut ne peſtis horſum tranſiret: at præterea vallis bodzenſis, & poſtea Körös, deinde Kováſzna propriis ſtationibus militiæ vernaculæ circumſeptæ fuerunt:

men-

menſe Septembri, & Octobri chirurgus bene peritus omnia loca intra prætenturam poſita, præter infectum Körös, inter cetera etiam Bodola viſitavit, nullumque ullibi peſtis indicium invenit.

163. Ex ſingulis vicis ſaltem duo jurati chirurgum comitari debuerunt, ut diſcerent, qua ratione viſitatio deinceps inſtituenda, & peragenda eſſet: nimirum e domibus foras acciendos ſeſſores ſingulos, ne fors ſubdoli vicanei ægrum intus celarent, & omnes incolumes eſſe falſo renunciarent: Bodolenſes toto Novembri, Decembri, & Januario nihil ſiniſtri retulerunt, & quum circumcluſi vici una cum Bodola, moleſtias incommodaque tam diuturnæ obſidionis peroſi, eliberationem inſtantiſsime poſcerent; annuit collegium ſanitatis, ut ea ſolveretur, aut potius ad proximos tres vicos, Pake, Körös, & Kováſzna, quorum bini poſtremi infecti erant, contraheretur: id 20° Januarii factum eſt, eo quidem confidentius, quod peſtis ubi-

que fini appropinguaret, & brevi desitura speraretur.

164. 12° Februarii subcenturio, in Bodola hibernans, scripsit Coronam, infantem biennem nudius tertius, matrem heri, hodie patrem vivis ereptum esse: medicus Brukmann aberat in districtu fogarasiensi: eum supplevit coronensis civitatis chirurgus, qui retulit „infantem ex convulsio„ne; matrem, antea valetudinariam, ex „abortu; patrem vero ex apoplexia in„teriisse: cadavera nullum pestis indicium „exhibuisse: se tamen in omnem even„tum istam domum interclusisse."

165. Paucis post diebus Brukmann eo venit, & comarchum pagi senioresque, præfectos curiarum nobilium, & curatores animarum de statu publicæ sanitatis interrogavit: illi omnia bene esse reposuerunt: superstites memoratæ domus, foras evocati, erant omnes sani: sic confirmabatur relatio chirurgi: itaque medicus, omnis mali securus, revocatis in mentem

cir-

circa ægrorum mortuorumque manifeſtationem edictis, in reliquum tempus monuit, ut imperata ſedulo, & accurate exequerentur.

166. 25° Martii alius ſubcenturio duos præcipites occaſus renunciavit: medicus Brukmann in maruſina ſede aberat: medicus civitatis coronenſis eum ſupplevit, & retulit ſeſſorem bodolenſem, hujusque famulum, & infantem ſesquiennem morbo quatriduano, petechiis in cadaveribus conſpicuis, mortuos eſſe, & in vico ab hinc ſex dies quinque homines in morbum calore, capitis dolore, & vomitu ſtipatum incidiſſe: ſine mora domus iſtæ intercludebantur. Brukmann, 29° Martii opportunum reverſus, adjuvante chirurgo bene perito viſitationem totius pagi ſuscepit.

167. Vidua ſeptuagenaria extra pagum habitabat cum duobus filiis adultis, & cœlibibus, totidem filiabus, genero, & parvulo nepote; filii generque raro domi, ut plurimum vagabundi, negotiationis

clan-

clandeſtinæ, ne dicam furti, infames: ideo in veriſimillimam adlati domum fomitis peſtiferi cauſam veniunt: filiorum junior, exeunte Decembri graviſsime tentatus, vix emerſit: inde retulit tumorem infra aurem ſiniſtram, qui in pus abierat, & coaluerat: chirurgus, cicatricem conſpicatus, pertinaciter negantem impulit, ut fateretur ſe peſte laboraſſe: binæ ſorores interierant, cœlebs quidem 24° Januarii petechiis; nupta 10° Februarii præter petechias carbunculo ſignatæ: ambas ineunte morbo vires deſtituerant, præcordiorum anguſtia torſerat: frater adjuvante vetula cadavera trahis impoſita in cœmeterium traxit, clam; an palam, incertum eſt.

168. Vetula quoque morbo tentata fuerat, ſed non ante faſsa eſt; quam ſe nudare cogeretur: oſtendit ſub lævo inguine bubonem, ex ſupernato carbunculo adhucdum ulceroſum, qui demum 24° Maji conſanatus eſt.

169.

169. Illa apud hungarum pagi ſeſſorem fere quotidiana fuit, quod inde vinum crematum emeret, & linum mercede nendum acciperet, ac netum reportaret: ea itaque occaſione contagio in vicum transducta fuiſſe videtur: forſan etiam anus aliquid fomite foetum in ea domo vendidit: initium fecit puellus biennis, 6° Februarii, ut poſtea compertum eſt, mortuus: ſequebantur mater gravida 11°; & pater 12 ejusdem menſis: ſuperſtites, filium vicennem, & parvulam quadriennem, medicus Brukmann paucis a parentum morte diebus ſanos viderat, ut ſupra dixi: parvula mitiſsimum peſtis adſultum paſſa eſt: filius pejus habuit, & ſub inguine ſiniſtro bubonem, qui ſub viſitatione nondum coaluerat, & carbunculum prope os ſacrum, qui itidem carnem mortuam adhuc habebat, retulerat: famulus perſtiterat ſanus.

170. Uxor alterius hungari in domo mox dicta frequens fuit, & 16° Martii peſtem concepit: ſummas præcordiorum

an-

anguſtias, & infimi ventris dolores querebatur: obiit 22°: ejus vir, nudius tertius in morbum lapſus, magno calore, & multo vomitu primum vexatus, duos dies ſomnolentus, dein delirus, deceſsit 25°: cadaver petechias oſtendit: nudius tertius puella ſeptennis capitis dolorem, & ventris tormina queſta erat: carbunculus palpebram ſuperiorem ſiniſtram inceſsit, & non tantum hujus; ſed etiam alterius oculi ambitum tumefecit: mortua eſt 27° Martii: hujus ſoror quinquennis, tertio poſt die in morbum lapſa, bubonem nacta eſt ſub inguine dextro: ceteri tres domeſtici erant ſani.

171. Interea dum contagio intra has familias occupabatur; ſolenni ſuo more, videlicet conventu propinquorum, notorumque apud ægros, & venenatarum rerum partitione, ad alias ſimiliter tranſibat: quas ſi ſingillatim perſequerer; lectorem nimis fatigarem: quatuordecim inventæ

ſunt

ſunt infectæ; mortui ex peſte octodecim; reſtituti duo; actu ægri undecim.

172. Bodolenſes culpam omiſſæ renunciationis aliquantulum excuſare videbantur ajendo „ viſitatores quotidie circum-
„ iviſſe: at quum domos, ne ipſi peſtem
„ conciperent, ingredi non ſint auſi; ple-
„ bem variis ſub obtentibus, puta: hos ad
„ lignationem; illos ad labores rurales;
„ iſtos in primum vicum; filium ad pa-
„ rentem; hunc ad filium exiſſe commen-
„ tantem, ægrotantes celaſſe, & diſsimu-
„ laſſe: mortis caſus patuiſſe quidem;
„ mortuorum vero propinquos varias,
„ pro ſuo quemque modulo, morbi, &
„ mortis cauſas finxiſſe, quæ peſtem neu-
„ tiquam præferrent; imo durationem
„ morbi ad lubitum prolataſſe; verbo: fal-
„ ſa renunciaſſe. “

173. Cognita, declarataque peſte militia germanica pagum quindecim ſtationibus circumſedit: interpoſiti equites ſpatia vacua diu noctuque obibant: miſsi

in

in loca vicina periti chirurgi, qui ſanitatis ſtatum ubique perquirerent, & recognoſcerent, &, ſi quid invenirent adverſi, referrent.

174. Domus infectæ eo quidem ordine, & tempore, quo reperiebantur, occluſæ, vigiliisque obſeptæ fuerant: at quum ab invicem diſtarent, & impollutæ intereſſent mediæ; iſtarum ab his ſeparatio locum habere non potuit: inconſultum enim fuiſſet, ſanos & intactos periculo exponere: deinde ambitus nimis amplus erat; quam ut fructuoſe, tuto, & commode circumſepiri potuiſſet: demum funeſta experientia docuerat, nunquam ſatis a plebe cautum eſſe, quippe quæ non inveſtigabilibus, nec ſatis præcavendis artibus, fallaciisque ſupellectilem, & cum ea peſtis fomitem ſubducere, & abscondere noſſet.

175. Præſto erant undecim caſæ, a cetero pago circiter tercentos paſſus diſsitæ, & peſti intactæ: Brukmann ſeſſores in pagum translocavit, & vacuefactas

ca-

caſas infectis familiis addixit: unam ægris; alteram chirurgo, hujusque adminiſtris ex territorio Calibaſonum, peſte duos jam menſes liberato, excitis; tertiam convaleſcentibus; ceteras contaminatis ſuſpectisque deſtinavit: conſeptum hoc excubiis circumdedit, & omni cum pago commercio intercluſit: migrantibus non plus indumentorum, & ſupellectilium permiſit; quam ad uſum reſtrictum, & ad mutationem opus fuit: mox ab ingreſſu omnia lavare, lotas veſtes induere debuerunt: quatvor familiæ, queis duplices veſtes non ſuppetebant, ſeorſim a ceteris deguerunt: nam etiam in conſepto ita diſpoſitum fuit, ut commercium diverſe ſuſpectorum impediretur.

176. Quæ domi reliquerant, purganda, & accuranda commiſit purgatoribus, manentibus interea, qui ab initio circumſtabant, excubitoribus: eccleſiarum, & ſcholarum frequentatione, nuptiis, funerum nataliumque epulis, & omni confer-

ferto conventu incolis bodolensibus interdixit: impresse, & diserte monuit „contagionem & ægrorum congressu, & supellectilis, ab his adhibitæ, usu propagari; ac quaqua versus difundi: vix ullum ab alterutra, præsertim postrema, harum occasionum tutum esse: juventutem inscіis parentibus in obstrusissima loca irreptare: supellectilem hæreditate, venditione, donatione, aliisque civilis vitæ contractibus etiam ad cautissimos facile intra quatuor, queis malum latuit, menses transire potuisse: hinc non consultissimum modo; sed etiam plane necessarium esse, ut per totum pagum generalis purgatio confestim & accurate susciperetur: sic virus, sicubi lateret, extirpatum iri:“ adjecit „quanto cum vitæ privatorum, & sanitatis publicæ damno res pestiferæ abscondantur: quæ lotionem ferunt, proprietariis redditum; cetera, quæ igne cremanda sint, ex clementia & largitate augustissimæ prin-

„ ci-

„ cipis pecunia refartum iri: celatoribus „ carceris, & pro re nata etiam capitis „ pœnam; indicibus trium aureorum mer- „ cedem conftitutam effe: " tandem adhortatus eft curatores animarum, feniores pagi, & omnes, qui auctoritate valebant, ut eadem monita plebi imprimerent, & ad exequendum perfvaderent: quod ipfi etiam pro virili præftiterunt.

177. Jam inde a fexto Aprilis, quo die familiæ feminio peftifero pollutæ abductæ fuerant; opus purgationis ut accurate & ferventer; ita profpere in Bodola procedebat, nihilque adverfum in tertiam fere feptimanam in pago fe exeruerat, & curatores animarum apud plebem acriter inftabant, ut, fi quid forfan occultum fcirent, fideliter revelarent: quod auctoritas, & eloquentia non potuit, peftis longe efficacius expreffit: domus infectarum vicinæ, hucusque illibatæ, virus intra parietes fuos recondebant, jamque 23° Aprilis una; dein fuccefsive quatuor

aliæ totidem peſtiferos, ultimum quidem ſexto Maji, dederunt, &, ſtatim atque compertæ erant, transmiſſæ ſunt in conſeptum, intra quod, anguſto nimis ſpatio, quinque tuguria extemporanee erigi debuerunt.

178. Condiderant in hortis, cameris, horreis, ſtabulis intra ſtramen, & foenum omnis generis ſupellectilia, indumenta, tegumenta, quorum prima retexit purgatorum ſagacia; quædam nobilis puellæ ſolertia; cetera ipſi proprietarii, ſuo tandem damno ſapientes.

179. Conſepti fata hæc fuerunt: inter quatuor familias, quæ veſtes non mutaverant, &, ut dixi, ſeorſim erant, contagio ſuum curſum tenuit, & menſe Aprili undecim impetivit: Majus duos tantum ægros dedit: penultimus erat ex familia, quæ jam quatuor ſeptimanas intacta permanſerat: videlicet puella octodecennis induſium, quod mater, ex peſte mortua, paucas tantum horas induerat,

&

& mundum videbatur, lotioni ſubduxerat: id induit 7° Mai; ægrotavit 9°; mortua eſt 13°: ultimus fuit ſtolidus & fatuus, quem inanis phantaſia in noſocomium, ubi puella jacebat, concubia nocte perduxit: tertio poſt die cum bubone, ac petechiis vitam, & contagionem finivit.

180. Qua occaſione contagio venerit in Bodola, nil prorſus certum licet prodere: memini quidem vetulæ, apud quam primum divertit, filios in eam ſuſpicionem venire: iſtorum enim vagabundorum uni alterive ſupellex polluta ex Körös, Kováſzna, Bodza in manus venire potuit: ex Bodza ſequens ſe offert occaſio: vidua, eaque filia familiæ, quam peſtis Bodzæ bis vaſtavit, 8° Decembris dimiſsa, venit tertio poſt die (10° Decembris) cum adulta ſorore in Bodola, ubi ab hungaro, cujus domum ineunte Februario infectam fuiſſe dixi, panem emit, quem in ſuffragium mortuorum parentum pauperibus diſtribuit: forſan etiam, ut gens va-

lacha ſolet, aliquid veſtimentorum ex mortuis reſiduorum vetulæ, cujus filius primus peſtem habuit, in domo hungari frequenti donavit: nam & ipſa procul dubio, quemadmodum ſorores, ſupellectilia defoderat, quæ xenodochio exiens mox recipere, & in Bodola ſecum ferre potuit: noctem transegit apud vicinum vetulæ valachum, qui quidem ineunte Januario obiit, ſed ex morbo vulgari, non ex peſte id quod enarrata ab ejus uxore ſymptomata, & ſequens totius familiæ, quæ ſex animarum erat, incolumitas evincere videntur.

181. Eadem bodzenſis vidua, apud valachum divertens, ſubito magnoque frigore, & capitis dolore prehenſa eſt: poſtridie mane pejus habuit, & aliquoties vomuit: ajebat ſe heri ex equo decidiſſe, cui cum inſidere jam impotens eſſet; ejus ſoror domum properavit, fratremque accivit, & currum: huic ægra poſtridie impoſita ſub itinere moriebatur: ubi, &

quo-

quomodo cadaver humatum ſit, omnino comperiri non potuit: neque alienum eſt credere, vetulæ filiorum alterutrum, aut etiam generum currui occurriſſe, humationi operam dediſſe, & pro mercede aliquid veſtimenti accepiſſe.

182. Quuidquid ſit, hæc hiſtoria, utut nonnullis circumſtantiis, quas mortui, & transfugæ ſecum tulerunt, impedita, ſaltem veriſimillimas refert occaſiones, quæ contagionem prolatarint.

183. Bodola numerat domos peſte funeſtatas 21: habebant hæ animas 128: contagio prehendit 59; interfecit 57; ſauciatas reliquit 22; illibatas 69.

Sedes Csikenſis.

184. Eſt regio Moldaviæ contermina: montes medii ſunt, per quos via regia ſex horarum ſpatium usque fauces, portam Ghimes dictas, percurrit: hic Tranſilvania finitur: nonnullæ familiæ ſecus viam hinc & inde; multæ ad latera; pleræque

ſeorſim; aliæ in viculos contractæ habitant. Unum, dimidio circiter itineris ſpatio poſitum, contagio menſe Auguſto primum tentavit: ſeſſorum unus habebat fratrem, trans excubiarum ſtationes habitantem, quem, quia jam aliquot liberos amiſerat, & ipſe periculoſe ægrotabat, inviſit; & peſtem ad ſuos reportavit: a dimidio Auguſto usque dimidium Septembrem quinque funera extulit: hujus vicinus duo: tertius vicinus adulto Septembri totidem: ajebant morbum eſſe dysenteriam, capta procul dubio mendacii occaſione ex eo, quod profluvium alvi, ut in peſte aſſolet, mortem anteiiſſet.

185. De familia, quam poſtremo nominavi, venit Cibinium 24° Octobris nuncius „ puerum novennem, qui tota æſta-
„ te valetudinarius fuiſſet, ex dysenteria,
„ & narium hæmorrhagia 29° Septembris;
„ puellam quatuordecennem, antea jam
„ ægram, ex novo relapſu 12° Octobris;
„ alteram ſeptennem, quæ quoque tota

„ æſta-

„ æſtate languiſſet, 14° Octobris; puellum
„ quinquennem 15°; tandem ipſam matrem,
„ tres jam menſes infirmam, tot prolium
„ jactura, & deſiderio confectam 19° O-
„ ctobris deceſsiſſe: „relatio adjiciebat,“ pa-
„ trem, aviamque, & veſpillonem ſancte ad-
„ ſeverare, in cadaveribus nihil præter-
„ naturale apparuiſſe; ceteros familiares,
„ & vicinos optime valere; quia tamen
„ tot mortis caſus in eadem familia ſuc-
„ ceſsiſſent, domum, interea dum res pe-
„ nitus inquireretur, vigilibus circumclu-
„ ſam teneri. “

186. Miſſus eo chirurgus comperit tertio Novembris, omnes, quos mox adducebam, ex morbo quatriduano cum bubonibus obiiſſe præter decennem puerum, qui ſub utroque inguine bubonem gereret, & jam reconvaleſceret: in vicina domo (hæc erat infectarum quarta) matrem 24°; puerum duodecennem 30° Octocris mortuos eſſe; infantulum ſesquiennem decumbere cum bubone ſub inguine dextro, &

 tri-

tribus in abdomine carbunculis: ceteri autem & harum, & reliquarum casarum praesentes incolae erant sani: sex vero aberant, ut postea memorabo.

187. Idem chirurgus vicum, Ainad nomine, sesquialteram horam ab istis casis dissitum heri inviserat: pars inferior sincera mansit: superior habet domos quadraginta, quas 215 animae ante pestem habitabant.

188. Hanc duabus ab hinc septimanis contagio incesserat, & sex domos funestarat: incepit 24° Octobris a puero duodecenni, quem cum bubone & petechiis intra triduum necavit: secuta est soror sexennis, quae itidem intra triduum 18° Octobris perivit: ambo occasus pro vera peste primum habebantur, ideoque domus excubiis circumcludebatur: malum quievit usque finem ejusdem mensis, & excubitores deducebantur: at ultimus Octobris, & primus Novembris dies quatuor funera dederunt: in his tumores pestilentiales, &

pete-

petechiæ conſpicuæ erant: ſimiliter & in quatuor cadaveribus totidem familiarum: ſexta duos ægros habebat, mulierem bubone ſub inguine dextro, & carbunculo ſub ſura ejusdem lateris; infantulumque bubone ſub inguine ſiniſtro ſignatos.

189. Peſtem in hunc vicum retulit ſesſor ex fratris infecta domo, eadem ipſa, quam quinque animas menſe Octobri amiſiſſe ſupra memoravi: ſub eodem enim tempore alter alterum inviſerat, & ainadienſis mortuorum ex fratre nepotum quasdam reliquias liberis ſuis reportaverat.

190. Etiamſi vero militia ſtatim a declarata peſte ſaluberrimas diſpoſitiones adornaſſet; ſupero tamen rei ſanitatis collegio viſum eſt, medicum Brukmann illo mittere eo fine, ut delegato ibidem conſeſſui ſpecialia explanaret, &, ſi quid reliquum eſſet, perficeret.

191. Interea in viculo primum infecto, & circumcluſo unus & alter occaſus ſe-

ſe

ſe iterato exeruerant: inter ceteros miles vernaculus, domum infectam ingreſſus, peſtem contraxit, & bubonem: obiit quarto poſt die: iſtud infortunium permovit tribunum iſtius militiæ, ut ſuperſtites domorum infectarum in Ainad; ceterarum vero ſeſſores in xenodochium ghimeſienſe traduceret: optimo ſane eventu: nam omnes ibidem ſani perſtiterunt.

192. Brukmann, 9° Decembris eo appellens, intellexit alium viculum 12 caſarum jam inde a dimidio Novembri infectum eſſe: tertius enim frater ibidem habitans & in Ainad, & in primo viculo frequens fuerat, & inde ſupellectilia retulerat, jamque ipſe cum familia in Ainad transvectus fuerat: at quum chirurgus, in Ainad peſtiferis expoſitus, in quatuor caſis ſex mortuos, quos nemo humare vellet, comperiſſet; caſas ſuccendit, & ſuperſtites in Ainad transduxit: poſtridie in una reliquarum caſarum duo peſtiferi reperiebantur, qui in noſocomium ainadenſe;

ſu-

ſuperſtites vero in domum peculiarem translati ſunt.

193. Et quia metuendum erat, ne ceteræ quoque caſæ, inter quas diverſorium fuit, fomitem peſtiferum continerent; medici Brukmann ſvaſu omnes primum vacuefactæ, deinde combuſtæ, ſeſſoresque omnes in Ainad ſe recipere coacti ſunt: ſic contracta in unum locum peſte reliquum fuit, ut ibi contineretur, & extingueretur: militares excubiæ triginta & ſeptem ſtationibus locatæ totum vicum circumſtabant, & ſimul illibatam partem ab infecta intercludebant.

194. Omni opera adlaborabatur, ut, qui in morbum inciderent, mox conquirerentur, & in noſocomium traherentur, ſuperſtites ſani ab illibatis ſeorſim degerent, & hi periculoſos congreſſus vitarent: purgatio ſolicite & accurate inſtituta fomitem peſtiferum delevit: contagio menſe Decembri ad apicem incrementi pervenit, & Januarius tres tantum ægros, eosque

ex-

ex miniſtris dedit: tandem duæ mulieres, quæ ſupellectili purgandæ vacabant pridie cinerum, commiſſabundæ ſibi malum conciverunt, & reſolutis bubonibus convaluerunt.

195. Ainad, & duo viculi ſimul ſumti numerant familias peſte funeſtatas 29; animas morbo petitas 112; interemtas 78; vitæ reſtitutas 34.

In Sede Maruſina.

196. Hæc Tranſilvaniæ regio nomen habet ab interfluente amne Mariſco, quem vulgus Maros appellat: caput eſt Maros-Váſárhely: hungari Agropolin latine vertunt: hic ſedet principale forum (tabulam regiam vocant), penes quam judicia exercentur: anniverſarias habet undecimo Novembris die nundinas, quo Csikenſes, præſertim monticolæ, frumentum in hiemem emturi catervatim confluere ſolent.

197. Eo quoque abiverant ſex ſeſſores viculi apud Csikenſes primum infecti: ex

his

his duo erant, quorum familias contagio habuerat: procul dubio aliquid ſupellectilis peſtifero fomite impraegnatæ ſecum acceperunt, quæ puellæ, de qua infra dicam, ceſſerit in uſum: ea ſerviebat in caupona, quo multos ex infecto tractu conveniſſe poſtea compertum eſt: & hæc eſt ſola occaſio, quæ de origine peſtis, quam mox deſcribam, reſciſci potuit: neque enim mater puellæ, aut hera, ut ut variis quæſtionibus agitatæ, quidquam ſpecialius, quod ſatisfaceret, edixerunt.

198. Collegium ſanitatis ſtatim; atque abitum iſtorum hominum intellexit, præpoſitos ſedis Maruſinæ 15° Novembris commonefecit, ut attenderent, & ſolicite perquirerent, num ſicubi calamitas emergeret: paulo poſt renunciatum eſt, ſex iſtos ſeſſores, illibata ſanitate, ad ſuos rediviſſe: ita ſuſpicio, & metus naſcituræ contagionis pedetentim remiſit, & quievit.

199. 19° Decembris præpofiti fedis fcripferunt, in vico Kakasd a metropoli horam difsito „ puellam octodecennem 19° „ Novembris; fratrem quatuordecennem „ 23° ejusdem menfis; alterum quatuorvi„ cennem 2° Decembris ex morbo vica„ neis ignoto interiiffe: hos nuper fcabie „ adfectos, decocto tabaci cum arfenico „ perlotos, intumuiffe; rubras efflore„ fcentias ad inftar purpuræ habuiffe; „ multum vomuiffe; demum, viribus fu„ bito deftitutos, decefsiffe: in cadavere „ poftremi fub inguine tumorem obfer„ vatum fuiffe: parvulam octennem con„ tagiofa fcabie pariter teneri; phyficum „ fedis caufam mortis ab arfenico repete„ re: ne quid tamen neglectum videretur, „ vici fefforibus ceterorum locorum com„ mercio ad aliquot faltem feptimanas „ interdictum effe. “

200. Ipfe ego, perlecta relatione, opinioni phyfici accefsi, & collegio fanitatis 29° Decembris auctor fui, ut interdictum

tol-

tolleretur: quod quidem demum 21° Januarii effectum eſt.

201. Ineunte eodem menſe transmiſſa ægrorum, mortuorumque in locis iſtius ſedis tabella exhibebat duos in Kakasd octavo morbi die, elapſo Decembri, defunctos, & totidem ex purpura decumbentes: id morbi genus tum temporis per principatum longe lateque graſſabatur: ſequens tabella quinque ægros menſe Januario reſtitutos oſtendebat.

202. Interea rumor ſine capite percrebuit, & Cibinium usque venit, peſtem in ſede maruſina pedem fixiſſe, & gliſcere: compellati ſuper hac re præpoſiti reſponderunt 11° Februarii „ ignotam ſibi „ rumoris cauſam eſſe: altera quaque ſeptimana de ægris & mortuis tabulas reddi, „ easque fidem facere, nullos inſolitos „ morbos, ne dum peſtem in tota regione reperiri: ab aliquo quidem tempore „ plures ægros, & crebriores; quam alibi, „ occaſus contigiſſe, ac nuperrime (primo-

„ mo Februarii) de repentinis nuncium
„ extitiſſe : miſsum eo notæ fidei virum
„ annoſum, & peſtem olim expertum ni-
„ hil ſiniſtri peſtisve ſuſpecti reportaſſe:
„ ſecutam poſt octiduum relationem id
„ ipſum confirmaſſe. "

203. At vix revertente ſeptimana (17° Februarii) iidem ſcribebant „ vicaneos
„ ex ruditate, aſtuve, aut metu ſecuturo-
„ rum incommodorum miſſos inquiſitores
„ circumveniſſe: heri demum crebreſcen-
„ tia in vico Kakasd, eaque repentina, &
„ non obſcuris peſtis indiciis ſtipata fune-
„ ra innotuiſſe: virrum optimæ ætatis, &
„ ſanitatis, 10° Februarii ægrotare coep-
„ tum, parvumque ſub axilla tumorem
„ nactum, quarto poſt die obiiſſe: duas
„ ejus proles iis ipſis diebus ægras, unam
„ quidem mortuam eſſe; alteram adhucdum
„ jacere: item matrem, tertiam filiam, &
„ cohabitantem conſobrinam pariter de-
„ cumbere, omnesque bubones; mulierem
„ vero tres carbunculos habere: in domo

„ vi-

„ vicina patrem, & filium bubonibus „ ſignatos graviter quoque habere; uxo„ rem nuper mortuam in inguine bubo„ nem geſsiſſe: in tertia domo mulierem „ carbunculo notatam periclitari: nullum „ proinde de vera peſte relinqui dubium: „ ideo domos infectas ſine mora interclu„ ſas, & cuſtodes vico circumdatos eſſe. “

204. Secutæ paulo poſt literæ memorabant „ chirurgum militiæ coram ſub„ centurione eadem, quæ priores, repe„ riſſe, & morbum pro peſte habere, ex „ qua inde ab initio novendecim animæ pe„ riiſſent: in ipſa civitate agropolitana ſar„ torem, qui ultimis Januarii diebus in „ Kakasd fuiſſet, poſtridie; quam domum „ revertiſſet, (1° Februarii) frigore, & „ dolore capitis tentatum, poſt triduum „ bubonem ſub inguine dextro accepiſſe, „ atque nunc reconvaleſcere: comperta re „ confeſtim domi cum ſuis intercluſum; „ at, quum ancilla ægrotaſſet, in Kakasd „ 23° transductum eſſe: in Karátsonfalva,

„ vico Kakasd propinguo, quum jam 18°
„ relatum eſſet, ſeſſoris filiam, quæ mor-
„ tuæ in Kakasd puellæ veſtem induiſſet,
„ morbo teneri; iſtam, tum & eorum,
„ qui in eadem convenerant, domos inter-
„ cluſas: pari ratione in aliis duobus vi-
„ cis factum, quod ſeſſores, etiamſi omnes
„ ſani eſſent, in Kakasd nuperrime fuiſſe
„ comperti ſint. "

205. Itaque, poſtquam morbi affectiones, effecta, ſeries, & ſucceſsio innotuerunt, nemo dubitabat veram peſtem eſſe: neque tamen adeo terrebant præſentia; quam futura: malum diu latuerat: Kakasd optima totius regionis vina alit: hinc frequens oinopolarum concurſus: Agropolitani ultimis bacchanalium diebus lætitiæ cauſa frequentes adfuerant: malum & ipſam civitatem adortum erat: apud ſartorem omnis generis homines confluunt: nuperrime magna optimatum celebritate regius ſedis judex introductus fuerat: & tabula regia una cum aſſeclis, intelle-

cta

cta peſte, ad tutiora receſſerat: ſcholares pariter territi ad ſuos redierant: imo horum nonnulli Claudiopolin petiverunt: ſic ne conjectura quidem adſequi valuit, quo, & quorſum ſeminium peſtis intra quatuor menſes fors divulgatum fuerit, vel divulgari potuerit.

206. At etiam inter hæc terrifica prudentiores meliora ſperabant: domus primum infecta ſex circiter ſeptimanas interclusa fuerat: mater familias vidua erat; proinde paucus apud illam conventus: oinopolis & Agropolitanis non competebant domus ægros habentes: cives, quamprimum ſartorem ægrotare ſciverunt, tanto minus eum adeundi rationem habebant: &, ſi adirent, tantum momentanee: ex illis porro, qui diſceſſerant, vix aliqui eam domum frequentaſſe videbantur: denique conſtans eſt obſervatio, miasma peſtiferum hieme nec tam facile concipi, nec tam cito, & late dis-

pergi, & de cetero homines longe magis domi se continere; quam quidem æstate.

207. Collegium sanitatis eodem, quo primum nuncium accepit, die statuerat: 1°, ut adjacentes circuli pesti obnoxium excubiis circumsisterent; omne cum eo commercium vitarent, & arcerent; omnia ditionis suæ loca visitarent: 2°, ut Agropolis, & Karátsonfalva haud secus; ac Kakasd, circumpositis custodibus occluderetur: 3°, medicus Brukmann cum duobus chirurgis bene peritis quantocius eo se conferret, & loca infecta, dein suspectiora, demum cetera visitaret, & ipse delegatum Agropoli sanitatis consessum praxin præcautionum edoceret: 4°, chirurgus, qui extincta in Ainad peste abesse poterat, in Kakasd iret, & congrua circa ægros, & sanos disponeret.

208. Brukmann cum suis adfuit primo Martii: viserat in itinere Radnot, comitatus küküllöváriensis pagum, ubi puero decenni tumor sub maxilla dextra succreverat,

&

& ideo ſuſpectus habebatur: verum cauſa fuit purpuræ ex frigore repercuſsio: medicus nihil peſtiferi ſubeſſe pronunciavit. Secutarum relationum ſumma hæc fuit: ſartorem agropolitanum habuiſſe in Kakasd ſororem, quæ una cum viro ultimis Januarii diebus obiit: eundem ægris morientibusque adſtitiſſe, funebribus epulis interfuiſſe, & veſtimenta, inter cetera veſtem pelliceam, domum retuliſſe: hujus ancillam, quæ 21° Februarii Agropoli ægrotaverat, 23° obiiſſe: uxorem vero in Kakasd 2° Martii cum bubone, & carbunculo peſtem concepiſſe, & reconvaluiſſe: peſtis in Karátsonfalva eandem plane originem eſſe: nam domus infectæ ſeſſorem ex kakasdienſis inquilini, affinis ſui, familia, peſte tentata, filiæ ſuæ veſtem reportaſſe: hanc, & duas alias proles cum petechiis poſt obiiſſe; totam familiam in Kakasd quarto Martii transductam eſſe: in Csiba, vico haud procul diſsito, repertum eſſe adoleſcentem bubone ſignatum, qui in Kakasd

famulans peſte correptus fuiſſet: hujus herum eundem in ſtabulum ſubmoviſſe, ubi ſeptem dies deguiſſet, ac ſuperata vi morbi ad ſuos rediiſſet: ex his neminem ægrotaſſe: in Kakasd vero confirmari hiſtoriam de adhibito arſenico: tres in iſta domo proles mortuas, totidemque reſtitutas, omnes peſtis indiciis ſignatas: & matrem, quæ itidem convaluit, ſex carbunculos habuiſſe: contagionem maxime in domos, quæ aut vicinæ, aut conſanguinitate junctæ eſſent, & ſuperiorem vici tractum obtinerent, vulgatiſsimis converſationis, & ſupellectilium infectorum commutationis occaſionibus (quas ipſi vicanei ſpeciatim profiterentur) graſſatam eſſe, & quindecim invaſiſſe, 13 intactas reliquiſse: ab initio Martii, quo ſeparatio conveniens inſtitui cœpiſset, tres duntaxat novos peſtiferos acceſsiſse: mulierem 20° Martii ultimam ægrotaſse, eamque ex bubone in inguine dextro, & carbunculo in abdomine conſanatam eſſe: ſummam omnium in præfa-

tis

tis locis ex peſte ægrotorum eſse 55: ex his 30 periiſse, & 25 emerſiſse.

209. Medicus Brukmann relictis, quos ſecum adduxerat, chirurgis, ut longinquiorum vicorum viſitationem abſolverent, redivit Coronam, & 25° Martii eo pervenit: in iſtis vicis nihil morboſi repertum eſt præter purpuram, ex qua retropulſa aliquot tenerioris ætatis bubones conceperant, & peſtis ſuſpicionem pepererant, quam perſcripta ad collegium ſanitatis morbi hiſtoria penitus delevit.

210. Interea purgatio ſupellectilis infectæ primum quidem Agropoli, dein in Karátſonfalva, tandem in Kakasd reliquias fomitis peſtiferi extinxit: & circulus, ſeu ſedes imperatam ſex hebdomadum ſanitatis probationem abſolvit ineunte Aprili: Kakasd vero ob tardiorem ultimæ ægræ reconvaleſcentiam demum exeunte Junio obſidione liberatum eſt.

De Repagulis & Adjumentis adverſus peſtem adhibitis.

211. Cautelas circum, & intra loca infecta contra peſtem adhibitas in antecedentibus jam adduxi, ſed ſummatim tantum & obiter; nunc ſingillatim, & ex profeſso tractabo, earumque rationem, ſeriem, & nexum exponam.

212. Collegium ſanitatis in Tranſilvania conſtat ex membris trium ordinum: inclyti pro principe gubernii, præturæ militaris, & conſilii ærarii: primus ordo civilia regendo; alter manum commodando; tertius ſumtus præſtando ſanitatem publicam curant: adſidet medicus agendorum ſvaſor & auctor: eſt quoque Coronæ conſilium in re ſanitatis conſtitutum, perpetuum quidem; ſed delegatum: ei adſidet medicus Brukmann pari, quo prior, muneris obligatione: in circulis csikenſi, & maruſienſi ſimiles conſeſsus ad tempus

con-

contagionis inducti ſunt, ut imperata exequerentur, &, quæ moram non patiuntur, confeſtim ordinarent.

213. Collegium ſanitatis jam inde a primo peſtis exordio nihil æque ſolicitum tenuit; quam ut ne malum, ſi alicubi erumperet, diu lateret, & clanculum ſe difunderet: ideo vulgavit per totum principatum obvia indicia, quæ peſtem a ceteris morbis diſtinguunt: hæc ſunt: 1° velocitas mortis, intra quatuor vel quinque ægrotationis dies apud longe potiſsimam morientium partem obſervabilis: 2° infectio, ſeu transmigratio ſimilis morbi in cohabitantes, & cum ægris converſantes; 3° major numerus morientum; quam emergentium: 4° tumores in omnibus fere ægris pone aures, ſub axillis, & inguinibus oriundi, quorum vix ullus emergentium expers ſit; anthraces, ſeu tumores locum, cui inſident, non ſecus; ac ferrum candens, amburentes, & cutem nigrantes: 6° maculæ nigræ lentis magnitudine in omnibus fere

ca-

cadaveribus conſpicuæ: ſic accommodata vel rudiſsimorum captui peſtis, ut ut incompleta, deſcriptio eo profutura videbatur, ut plebem, & eo magis, qui ſupra ſunt, attentos redderet, ut inde cives, ſi non certam mali notitiam, ſaltem ſuſpicionem haurirent, eamque præpoſitis aperirent; hi vero aut Cibinium, aut Coronam renunciarent.

214. In hunc finem quivis locus conſtituere debuit viſitatores, qui domos obirent, ſeſsores omnes evocarent, & de repertis ægris mortuisve præpoſitos ſuos certiores facerent: hi tabellam conficere, & ſingulo octiduo mittere debebant, in qua locus, æger, principium morbi, & dies mortis adſcribi debuit: quod ideo inſtitutum eſt, ut, ſi alicubi ſolito velociora, & crebriora funera contingerent, tempeſtive reſciri, & cauſa requiri poſset: & certe ſubiti mortis caſus absque cauſa vulgari, & manifeſta, graſsante in vicinis pe-

peſte, nunquam negligi, aut prætermitti debent.

215. Hæc proviſio in diſtrictu coronenſi effectum quæſitum ſortita eſt: ſenatus enim viſitationes, ac relationes preſse, & acriter imperavit, atque exegit: hinc factum eſt, ut primi occaſus trium, quos infectos habuit vicorum tempeſtive innotuerint, & confeſtim malo obviam iri potuerit: etiam militia germanica, & bona pars vernaculæ, ſubitos & ſolito crebriores mortis caſus ſtatim retegendo, publicæ rei multum profuit; in reliquo autem ſalutarem, optimeque præceptam diſpoſitionem negligentia, & perverſitas fruſtrarunt, & eluſerunt: neque enim par ubique, quæ Coronenſibus, vigilantia fuit, & ferme, queis viſitationum inſpectio, & exactio incumbebat, credere viſitatotoribus; quam verum requirere maluerunt: hinc plebejis ſolenne, & impune fuit ægros domibus ſuis occulere, abſentiam pro morbo obtendere; affectiones in ægris mortuisque ob-

vias

vias reticere, falſas appingere, & morbi durationem edicere vera longiorem: profecto nemo facile credet, qua ſolertia & promtitudine plebeji, præſertim Valachi, hiſtoriam falſam ad veriſimilitudinem extemplo concinnaverint, &, non dicam chirurgis; ſed & expertiſſimo Brukmann imponere tentaverint.

216. Omnia quidem male, & ad ſuam humanæque ſocietatis perniciem: parum tamen abſum, quin excuſem: plebs non novit publica, nec penſat: averſatur, & refugit, quidquid ſibi ſuisque obeſt, & nocet: recelatio peſtis tædioſa, gravia, damnoſa poſt ſe trahit incommoda, quæ ne publicæ quidem rei ſtudioſiſsimi lubenter participent, & ferant: hinc reperias ſupra plebis conditionem poſitos, qui metu, ne ipſi, & ſui in iſtas moleſtias incidant, aut etiam vulgi inimicitias odiaque ſuscipiant, acceptam peſtis natæ ſuſpicionem (longe magis certam notitiam) penes ſe retineant, celentque, & eam rem, ceu ad ſe

non

non ſpectantem, aperire reformident: ita plebejus præſentiam peſtis cuidam poteſtatem habenti retexerat: verum hic non manifeſtavit; ſed occultari ſvaſit: chirurgus mortis caſus pro peſtilentibus, quales reapſe erant, declaravit coram quodam magiſtratu, qui ambiguam, & palliatam renunciationem collegio ſanitatis transmiſit.

217. Comperta ocius ſerius contagio diſsimulari debuit, donec militia locum circumcluſerit, ne videlicet plebs elaberetur, & malum alio proferret: deinde loca infecto vicina uno eodemque ambitu, in omnem eventum, pariter circumcludebantur, pauciora aut plura pro re nata: ita in fogaraſienſi diſtrictu, quum quatuor eſſent infecta, quae decem haberent intermedia, hæc cum iſtis communi ſtationum circulo comprehendi debuerunt: intacta ſuæ ſecuritati ab infectis, ut ut incluſis, proſpicere debebant: chirurgi primum proxima extus, dein intra ambitum poſita viſebant: ita vera contagionis amplitudo

tudo certo innoteſcebat: hinc pro re nata ſtationes contrahi potuerunt: ampliari quoque potuiſſent, ſi opus fuiſſet.

218. Neque in eo conſtitit providentia: nam etiam integri tractus, qui unum & alterum duntaxat locum in ſuo gremio habebant infectum, omni cum citerioribus commercio, diſpoſitis per ſeriem ſtationibus, ſaltem ad tempus abſtinere debuerunt: coronenſi diſtrictui ceteris durius accidit, quod quum tria loca infecta haberet; territorio Caſariorum, tractibus fogaraſienſi, & hárumſzékenſi adjaceret, a menſe Septembri usque Aprilem obſidionem ſuſtinere debuerit.

219. Ubi contagio duo aut plura in vicinia loca inceſſerat, omni contentione adlaboratum eſt, ut in ipſo exordio confeſtim contraheretur in unum: ita loca minus attacta malo, & occaſionibus id ipſum propagantibus eximebantur: quod quidem non ſemper primo; ſed demum ſeparatis temporibus impetratum eſt: ut plurimum

enim

enim converſatione cum ægris, aut inquinatæ ſuppellectilis clandeſtina ſubductione peſtifer fomes ad propinquos, aut vicinos tranſierat: hæc res ſimul operæ miniſtrorum compendium faciebat, neque loco magis infecto periculum augebat: nam ægri in noſocomio; contaminati ſeorſum collocabantur: transvectio quidem ægris plerumque nocuit, &, credo, nonnullis mortem attulit, qui ſecus emerſiſſent: verum hic valet tritum illud: „ bonum publicum ſuprema lex eſto." Pecora, animaliaque domeſtica transmigrantium concredebantur comarcho loci, ut horum curam gereret.

220. Succenſio domorum ſeſſoribus vacuefactarum in ſolitudinibus maxime locum habuit, quia metus erat, ne quid inquinatæ ſupellectilis remanſerit, quæ a furibus ſubriperetur; tum ne domus iſtæ vagabundis, forſan etiam peſti hoſpitio esſent; tum ne excubiis, queis non continuo fidendum fuit, cuſtodiri deberent: neque

enim

enim e veſtigio purgatores ſemper acciri potuerunt, & hi quoque nonnunquam prævaricantur: majoribus vicis ob incendii metum, & propinquitatem aliarum ſuccenſionis venia dari, & purgatio ſubſtitui debuit.

221. Suppeditatio rerum ad vitam neceſſariarum in loca concluſa ita ordinata eſt, ut omnis metus periculumque contagionis concipiendæ aut prolatandæ ſubmoveretur: prope unam ſtationem bina repagula, octo vel novem cubitos æquidiſtantia, ad lubitum longa, in altitudine quatuor pedum ſtatuebantur: ultra iſtud rectangulum ſuſpecti non promiſcue; ſed pauci ſimul, & alternatim conveniebant: cis non ſuſpecti: hi vendentes; illi ementes: vendentes ſive tradentes ponebant ad latus rectanguli verſus locum infectum res ſuas ſeorſim in diſtantia prædicta, & recedebant: dein ementes accedebant: id ipſum obſervabatur, quando ligna focalia, aut frumenta ſuppeditabantur: pecu-

niæ

niæ omnes, quæ ex loco occluſo erant, aqua ſalſa lavari debuerunt: excubitores cavebant, ut omnia fierent juxta præſcriptum.

222. Intra loca infecta cura diſpoſitionum penes chirurgos peſtiferis expoſitos fuit, atque eo fine definitam, & adſtrictam agendorum normam acceperant: hæc eo collimabat, ut occaſiones mali incremento faventes prævertere, & inhibere, fomitemque peſtiferum omni ope & opera delere contenderent: hinc plebem periculi ab ægrorum congreſſu & ſupellectilis inquinatæ uſu imminentis, inceſſanter & preſſe commonefacere debuerunt: viſitatores bis quotidie domos obibant, ſeſſores omnes foras evocabant, &, ſi ægros reperiſſent, indicabant: ægri mox in noſocomium; contaminati in domus ipſis deſtinatas transducebantur: hi ſub ingreſſu ſpongiis linteisve mundis, aqua cum aceto remiſta madidis, corpora abſtergere, veſtes abjicere, mundasque, aut ſaltem an-

te mundatas induere debuerunt: ſtragulorum eadem erat ratio, neque plus migrantibus indultum fuit; quam quod arcta neceſsitas poſcebat: ubi duplicia non ſuppetebant; partitim, & per vices ab ipſismet poſſeſſoribus mundabantur: cetera purgatores in eum finem conſtituti perficiebant: ſancte cautum erat, ut contaminati, quam citiſsime fieri poterat, contagionis periculo eximerentur.

223. Domus, in queis peſtiferi decubuerant, ſtatim a vacuatione occludebantur, & vigiliis muniebantur, ingreſſu ſolis purgatoribus permiſſo: iis primum fuit, obſtructis feneſtris & caminis aliquot uncias ſulphuris, pro magnitudine loci, in patina terrea accendere, & poſt ſe januas reclaudere, ſicque totum nycthemerum relinquere: hæc fumigatio ter repeti debuit: dein ad ſupellectilia veniebant: quæ operiundo corpori apta fuerant, aut adhibita fuiſſe autumabant, in dolium conjecta acri cinerum lixivio viginti quatuor horas macera-

cerabantur: dein efuſo lixivio aqua fervens affundebatur, bis & ter nova: tandem ſolito more lavabantur, & exſiccabantur: tota operatio ter repeti debuit: veſtimenta autem & ſtragula, quæ lotionem non ferebant, & ægris uſui fuerant; item tribona nullius pretii, & ſtramina comburi debuerunt: tandem utenſilia terrea, lignea, vitrea, metallica lixivio indita abſtergebant, parietes calce dealbabant, & pavimenta radebant.

224. Reſtituti abſterſo, ut ſupra dixi, corpore veſtes & ſtragula mutabant, & depoſita purgatoribus lavanda, aut pro ratione comburenda dabant: contaminatorum, id eſt: hominum, qui ægris adſtiterant, & ſani manſerant, ſupellectilia, lotioni idonea, adlata methodo lavabantur; cetera vero, fumo ſulphuris impregnata, aperto aeri exponebantur, & tertio quoque die rurſus ſuffumigabantur; tandem ſub finem mitiore ſuffitu, puta: ligni juniperi, luſtrabantur.

225. Singularum domorum, ſupellectiliumque purgatio intra tres ſeptimanas abſolvi debuit: queis elapſis homines in experimentum ſanitatis occluſi, ſiquidem ſani manſiſſent, domum redire permittebantur: & talis mora probationi hominum, & rerum ſufficiebat tum ob efficaciam purgationis; tum quia iſti homines in eodem loco extus circumcluſo manebant, & tandem extincta ibi peſte communem probationem ſex ſeptimanarum ſubire debebant.

226. Mortuorum elatio, & humatio a parabolanis, & veſpillonibus absque ulla frequentia in loco ad id ipſum deſtinato fiebat: foveæ ut minimum quatuor cubitos profundæ cavari debuerunt: cadaveribus calx, ubi haberi potuit; ſecus cineres injiciebantur: nonnunquam utrumque, præſertim in ſolitudinibus, defecit: ubi miniſtri ad manum non erant, aut non ſuppetebant; contaminati ſuppleverunt: cœmeteria peſtiferorum poſt extinctionem pe-

ſtis

ſtis circumſepta, & loca fovearum ſupra ſolum cumulata ſunt.

227. Domorum, rerumque combuſtarum pretium poſſeſſoribus ærarium reſarſit: utrumque quidem ad ſublevandam jacturam; poſtremum vero eo potiſsimum fine, ut homines tanto lubentius traderent ſupellectilem infectam: verum id non fuit ſatis: nam plebs ſuſpicioſa diffidebat, an ſupellex tanti taxatum iret, quanti æſtimabat, & an promiſſa compenſatio reapſe repræſentanda eſſet: deinde nec a clandeſtinis ſubreptionibus ſatis cautum erat: hinc juſſu principis auguſtiſsimæ recelatoribus merces trium aureorum; celatoribus vero, pro modo facti, capitis poena conſtituta eſt, magno ſane profectu: nam hi metu delatorum eo minus abscondere ſuſtinebant; illi eo vigilantius attendebant.

228. Paucitas & raritas ægrotantium, vertente in finem peſte, ſpatium & moram dabat, ut prius purgatio infectarum do-

morum abſolveretur; quam malum penitus expiraret: & tunc inter miniſtros, qui eodem loco ſedebant, pro re nata unus aut alter dimittebatur: nihil vero magis angebat; quam ut ne peſtifer fomes, ſicubi lateret, peſtem improviſo reſuſcitaret: hinc generalis purgatio omnium domorum tam ante purgatarum; quam intactarum adornari, & perfici debuit ab ipſis ſeſſoribus, chirurgo methodum monſtrante: huic negotio prima, & altera ſeptimana communis probationis impenſæ ſunt: ſi interea quis peſte corriperetur; exacta mora fruſtra erat, & tota probatio a die mortis, aut reſtitutionis ejusdem ægri rurſus inchoari debuit, donec ſex ſeptimanæ continuæ omnium integritatem, & veneni peſtiferi extinctionem fideliter comprobaſſent.

229. Ultimis diebus medicus Brukmann, adjuvante uno alterove chirurgo bene experto, ſuper exacta purgatione ſtricte, & ſingillatim requirebat, & viſitatio-

tionem loci nuper infecti adornabat: omnes animæ, quot ante peſtem fuerant, referebantur in tabellas, ut inde numerus defunctorum appareret: propingui mortuorum circumſtantias, & adjuncta morbi, proruptaque indicia ſingillatim rogabantur, ut inde morbi genus eluceſceret: ſimiliter & omnes, qui convaluerant: tandem etiam, qui ſe intactos perhibebant, chirurgo ſe viſendos exhibere debuerunt, ut, ſi fors peſtem habuiſſent, inficiari non poſſent: omnia hæc in tabellas adducta ſunt, quæ cum iis, quas expoſiti chirurgi transmiſerunt, compoſitæ prodiderunt numerum ægrotorum, mortuorum, & emerſorum.

230. Eadem occaſione ſingulæ ratione utentes animæ commoneſiebant, ut, ſi quid infectæ ſupellectilis haberent, & ſicubi noſſent, actutum revelarent: ſuper ea re poſtridie illis jurandum eſſe: cogitarentque ſerio, quam ſevere deus perjurium ulciſcatur.

231. Itaque, posteaquam singuli praeeunti animarum curatori jusjurandum edixerant, & sic certitudinem, quae haberi potuit, summam de deleta peste professi erant, medicus instrumentum legale desuper edidit, & obsidionem solvit.

232. Summa omnium, quos pestis a primordio in omnibus locis memoratis incessit, inventa est 1643; mortuorum 1204; restitutorum 439: ergo ex quatuor infectis tertius quisque & plusculum plus perierunt: quae ratio major est; quam anno 1756: nam tunc ex tribus infectis tantum duo vita excesserunt.

233. Ita contagio, quae ex vicinia in Transilvaniam per tres vias penetraverat; variis ambagibus sex regiones invaserat; in nonnullis tractibus solitudines primum; in aliis & vicos, unum pluresve, infestaverat, intra undecim menses, mense Majo, quo surgere solet, extincta est, evidente argumento, humanam industriam adversus hanc calamitatem plurimum valere:

iere: & certe dubito, an unquam in ullo regno provinciave tanta, & tam operosa molimina olim adhibita fuerint, & calamitas adeo exigua clade in tot locis coercita, & extincta sit.

234. Attamen felix iste successus sinistre cogitantibus dedit ansam medicos conviciandi: „ pestem longe sævius esse „ malum; quam ut intra tam exiguam cla„ dem consistere potuisset: nuperis pesti„ lentiis annorum 1738, 1742, 1756; imo „ omnium retro seculorum multa ho„ minum millia periisse: non raro va„ gari per vulgus morbos, qui multo „ majorem; quam iste nuperrimus, quem „ pestem nominare medicis placuit, stra„ gem edant: medicos perperam toti „ principatui turbas accersisse, & ærarium „ multis pecuniis vacuasse. "

235. An ergo medici, qui pesti anno 1756 interfueruut, inter pestiferos versati sunt, ægros cadaveraque manibus contrectarunt, suisque oculis viserunt, aut tantæ

ſunt ignorantiæ, ut peſtem non cognoſcant; aut tantæ impudentiæ, & nequitiæ, ut ſanitatis collegiis conſeſsibusque; omnibus Tranſilvaniæ ordinibus; medicis aulicis; excelſiſsimæ aulæ: ultra decem menſes imponere potuerint?

236. An medicus Brukmann, qui, quotiescunque de exorta peſte requireret, militares, & civiles teſtes ſemper, & ubique adhibuit, hos, & ipſam plebem nefariis artibus faſcinare potuit? eſtne alter a peſte morbus, qui ut minimum dimidiam ægrorum partem intra quartum quintumve ægrotationis diem perimat? intra idem intervallum bubones, carbunculos, petechias progignat; & ex quo vix ullus ſine bubone ſaltem emergat? an chirurgi peſtiferis expoſiti, quisque intra locum ſuum arcte concluſi, ab invicem longe diſsiti, per ſingulas ſeptimanas in tabellas ſimilem omni dote morbum; ut anno 1756; deſcribere, & unitis velut conſiliis fallere potuerunt? an ergo in gratiam incredulorum

ſa-

ſatius fuit malum ſuæ ſponti relinquere; quam pro virili compeſcere? accedant, & conferant iſtas tabellas tum inter ſe, tum cum anterioribus, & convincentur aut olim peſtem non fuiſſe, aut nuperrimam reapſe talem eſſe.

237. Plura objicerem, ſi cum gnaris pugnarem: itaque conticeo: neque enim tanti publicæ rei intereſt, ut reſipiſcant: imo nemo mecum non exoptabit, ut iſtis occaſio errores ſuos exuendi nunquam naſcatur; ſed potius, ſi peſtis aliquando ingrueret, ſemper pari, aut etiam minori clade offendantur.



TABELLA

T A B E L L A

ſummarium peſtis tranſilvanicæ annorum MDCCLXX & MDCCLXXI ſpecimen exhibens.

NOMINA DISTRICTUUM, in quibus fuit peſtis	NOMINA LOCORUM, in quibus fuit peſtis.	NUM. FAMILIARUM omnium in his locis	NUM. FAMILIARUM infectarum in iisdem	NUM. ÆGRORUM ex peſte	NUM. MORTUORUM ex peſte	NUM. CONVALESCENTIUM ex peſte	In toto districtu fuerunt: familiæ infectæ	ægri ex peſte	mortui ex peſte	reconvaleſcentes ex peſte
DISTRICTUS CORONENSIS	Territorium Caſariorum	665	236	743	615	128	317	971	789	182
	Rosnavia	552	11	34	24	10				
	Novum Tohan	113	58	160	121	39				
	Vetus Tohan	162	12	34	29	5				
DISTRICTUS FOGARASIENSIS	Butſum	69	22	65	46	19	39	121	96	25
	Magnum Beriovi	64	8	25	20	5				
	Netot	57	3	12	11	1				
	Sarkaicza	98	5	17	17	—				
	Neo - Sinka	114	1	2	2	—				
SEDES NAGY-SINKENSIS	Roſunda	119	1	7	6	1	1	7	6	1
COMITATUS HÁROMSZÉK	Vallis Bodzenſis c. Xenod.	64	14	53	33	20	103	377	205	172
	Körös	74	62	242	120	122				
	Kováſzna	330	6	23	15	8				
	Bodola	171	21	59	37	22				
SEDES CSIKENSIS	Ainad cum duobus vicinis viculis	81	29	112	78	34	29	112	78	34
SEDES SEU COMIT. MARUSINUS.	Kakasd	29	15	49	25	24	17	55	30	25
	Maros-Vásárhely	664	1	3	2	1				
	Karátsonfalva	60	1	3	3	—				
In omnibus ſex horum diſtrictuum locis infectis		familiæ universæ					familiæ infectæ	ægri ex peſte	mortui ex peſte	convaleſc. ex peſte
fuerunt		3486					506	1643	1204	439